

EX
LIBRIS
J·J·LONGACRE
·MD···PH·D·



Longacre

DE

RHINOPLASTICE

SIVE

ARTE CURTUM NASUM AD VIVUM RESTITUENDI

COMMENTATIO

QUA

PRISCA ILLIUS RATIO ITERUM EXPERIMENTIS ILLUSTRATUR NOVISQUE METHODIS AD MAIOREM PERFECTIONEM PERDUCITUR.

CONSCRIPSIT

CAROLUS FERDINANDUS GRAEFE,

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTOR, POTENTISSIMO BORUSSORUM REGI A CONSILIIS INTIMIS, ORDINIS CRUCIS FERREAE, ORDINIS CAESAREI RUTHENICI ST. ANNAE IN CLASSE SECUNDA EQUES, LEGIONIS REGIS FRANCO-GALLIAE HONORARIAE DECURIO, ORDINIS CAESAREI RUTHENICI ST. WLADIMIRI IN CLASSE QUARTA ET SUECICI WASANI EQUES, IN UNIVERSITATE LITTERARIA BEROLINENSI MEDICINAE PROFESSOR PUBLICUS ORDINARIUS, SECTIONIS PRO SANITATE PUBLICA TUENDA IN SUMMO MAGISTRATU RERUM CIVILIUM MEMBRUM, INSTITUTI REGII CLINICO-CHIRURGICI ET OPHTHALMIATRICI DIRECTOR, ACADEMIAE REGIAE MEDICO-CHIRURGICAE MILITARIS PROFESSOR PUBLICUS ORDINARIUS, REGIAE SOCIETATIS FACULTATIS MEDICAE PARISIENSIS, SOCIETATIS MEDICAE AEMULORUM PARISIENSIS, SOCIETATIS REGIAE SCIENTIARUM GOTTINGENSIS, SOCIETATIS CAESAREAE NATURAE CURIOSORUM MOSCOVITICAE, SOCIETATIS PHYSICO-MEDICAE ERLANGENSIS, SOCIETATIS NATURAE SCRUTATORUM HALENSIS, ALIARUMQUE SODALIS.

LATINE EDIDIT

JUSTUS FRIDERICUS CAROLUS HECKER,

MEDICINAE UTRIUSQUE DOCTOR, IN UNIVERSITATE LITTERARIA BEROLINENSI PRIVATIM DOCENS.

BEROLINI A. MDCCCXVIII.

APUD REIMERUM.

JUSTUS FRIDERICUS CAROLUS HECKER,
M. D. LECTORI CANDIDO S.

Quam festinavi latinam huiusce operis editionem, nescio an supervacanea videri debeat, quum libros quo ab auctoribus compositi sunt sermone, eo conscriptos, nec archetypo aliqualiter mutato legendos esse, inter omnes constet. His bene perpensis, diu me incertum fuisse, utrum hanc provinciam in me susciperem, aliisne relinquerem, libere fateor. Quum vero ingeniosissima novarum methodorum inventione, et legibus quibus istae obsequuntur, eleganter expositis, maxima non solum chirurgiam incrementa cepisse, sed plurimum etiam ad corporis humani physiologiam collatum esse vidissem, nullus dubitavi, artem in Germania excultam, atque Germanico sermone condecoratam, cum Franco-Gallis, Italis, Britannis communicare, praestantissimis reipublicae medicae civibus. Accessit illa a maioribus recepta consuetudo, libros latine conscribendi, scilicet non cum singulis nationibus, sed cum toto terrarum orbe communican-

dos. Est enim latina lingua tam commune virorum eruditorum vinculum, quam artium litterarumque alma conservatrix. Cui mandare convenit praeclara Ill. auctoris nostri inventa, quibus dignius ornamentum quam latinae linguae nitorem vix ullum excogitari potuisse, nemo est, qui minus sibi persuasum habeat. Omitto, quantas difficultates exhibuerit, librum veluti arborem alieno solo coalitam, in latinum agrum transponere, quae ab eo demum clare intelligi poterunt, qui similes se ad elaborationes unquam accinxerit. Quare operam meam L. B. tibi haud prorsus ingratam fore, confidenter spero. Vale.

Scribebam Berolini M. Iulio A. MDCCCXVIII.

PRAEFATIO.

Ea est in hominibus faciei dignitas, ut ingenuam ipsorum naturam, ceteris viventibus longe praestantiorem, verissimo veluti testimonio manifestet, quatenus haec, corporeas in formas induta, oculis omnino patere potest. Facies, quae iure virtutis splendida imago et flagitii nota teterrima habetur, optimam praestantiae significationem continet, animique mutationes, licet maxime reconditas, haud male interpretatur. Ipsa vero in facie praeter oculos praecipue nasus peculiari qualibet specie plurimum ad exprimendam formarum indolem universam confert. Qui, si deformis evadit, omnis lineamentorum, etsi pulcherrimorum, consensus, omneque decus evanescit, si deficit plane, miserrimum est, et maxime ingratum oris dehonestamentum. Infelicissimam qui in hoc malum ceciderunt, vitam inter mortales agunt, neque vivorum hominum, sed

calvarum potius hiantium imagines repraesentare videntur. Sublata insuper, altiori vitii gradu, vocis suavitate, per quamcunque sententiarum explicationem, motum faciei aeque ac loquelam, nonnisi taedium et fastidium excitant. Conscii horroris, quo ceteros adspectu suo perfundunt, miseri miseriam ipsorum adeo persentiunt, ut deposita in omne futurum vitae jucundioris spe, corpore simul et animo depressi, citius ad mortem properent, neque tristioris vitae onus diutius ferre cupiant.

Frustra plastice materia mortua nasi molestissimum defectum oblivioni mandare conatur. Ceterarum quarumlibet corporis partium defectus, licet majores etiam molestias secum habeat, ipsaque earum restitutio, si functiones spectes, minus perfecta efficiatur, nunquam tamen ita fastidiosa evadit, ut nasus mortuis materiis restitutus. Sunt qui fulcris innixi miseri obambulent, minime tamen impediantur, quo minus laeti et hilares congerrones conveniant, quorum sibi quisque eo majori cum humanitate et observantia obviam ispis veniendum esse existimat. Verum qui facie mutilus partiali veluti persona vitium suum oculis subtrahere conatur, is eo foediores animi imagines apud obvios quoscunque excitat, quo officiosior imaginatio fit, ubi obtecta vera rerum forma, nullis jam finibus cohibetur.

Unde iam facile intelligitur, summam artem salutarem gloriam consecuturam esse, quae vivas partes amissas, — licet mortuis quibuslibet materiis ad regulam restitutas, ipsas tamen hoc modo irraparatas, ad vivum etiam restituerit,

quae partes non demerit, ut sanitatem, vel certe vitam, quasi ultimum ipsius propositum, trucidando consequatur, quae vivas partes amissas, novis iisque vivis feliciter restituerit, quae foedam faciei deformitatem, reddito lineamentorum consensu sustulerit, quae hominem hominibus alienum, humanae societati conciliaverit, quae tandem afflictum ad novas vitae felicioris spes perduxerit atque erexerit.

Summa igitur, quam singulis hac ratione medicina pollicetur felicitas, haud exiguum nos iam longum per temporis spatium in hisce rebus studium et operam collocare jussit nec minora nobis in votis fuerunt, quam ut Rhinoplasticen *), historiae ignorantia fere obliteratam, vanaque ostentatione ludibrio habitam, tamquam gravissimam chirurgiae operantis, atque uberrimam partem, denuo in lucem revocantes, suam in pristinam dignitatem restitueremus. Omnem itaque, quam par erat, in ea, omnibus in partibus perscrutanda, operam collocavimus, neque minus nova eaque propria observata cum antiquioribus comparando, hanc medicinae partem, non solum ratione eventus, generi humano fructuosissimam, sed etiam, ratione physiologiae uberrimam, ad summum quendam, quem nullo iam tempore assecuta erat, perfectionis gradum perducere conati sumus. Quem, ut nunc est, quum attigisset, omne simul studium contulimus ad aperiendum praxi medicae campum latissimum, omni opera pro vera generis humani salute colen-

*) Patet nominis ratio, deducitur enim a verbo πλάσσω, conformo, figuro, fingo et ῥὶν, ῥινός, nasus

dum. Denique haud negligendum putavimus, demonstratis variis quibusdam auxiliis, assidua rei perscrutatione inventis, artis socios ad imitandas ac frequentandas tutissimas operandi methodos provocare atque adducere. Quatenus vero metam nobis propositam contigerimus, facile ex hisce pagellis diiudicare licebit.

Berolini, Mense Maio A. MDCCCXVIII.

Auctor.

E L E N C H U S.

S E C T I O I.

Generales de partium ad vivum restitutione sententiae.

SECTIO II.

Rhinoplastices historia.

Periodus prima.

Periodus altera.

Periodus tertia.

SECTIO III.

Methodus Indica.

Ad quam Indica Rhinoplastice normam dirigenda sit.

S E C T I O IV.

Methodus Italica.

B. Italicae

SECTIO V.

Methodus Germanica.

M o r b i h i s t o r i a.

SECTIO VI.

Doctrina de vestimentis ceterisque nasum inserendi atque conformandi adminiculis.

A. Vestimenti deligatorii descriptio.

a. Taliacotii vestimentum deligatorium.

b. Emendatum vestimentum deligatorium.

B. Emendatorum tubulorum descriptio.

C. Nasi compressorii descriptio.

D. Adductoris descriptio.

SECTIO I.

Generales quaedam de curtorum ad vivum restitutione sententiae.

§. 1.

Quaelibet partium ad vivum restitutio legibus vis formatricis generalibus obsequitur. Haec non solum continuae materiae vicissitudini, qua totum vitae per spatium instrumentorum particulae et subvehuntur et advehuntur, praeest, sed totas etiam amissas partes, redintegrata veluti generatione, restituit. Cuius certe vis formatricis efficaciae quam peculiari nominis vi *Reproductionem* (vim regeneratricem) nuncupamus, variis aeque in animantibus, ac variis eiusdem animantis in partibus, diversi inter se gradus observantur. Quibus enim universalis potius formationis indoles inest, ubi variae organismi compages ad unam collectae animadvertuntur, et vita animalis ad inferiores gradus descendit, ibi reproductio etiam latius dominari videtur. Contra, ubi formatio potius singularis, et organismi compagibus distinctius separatis, vita animalis summo fastigio advectior est, ibi plerumque vis regeneratricis efficacia tanto diminuitur, quanto vis formatrix magis ad penitiorem vitae perfectionem conversa est.

§. 2.

Gelatinosa eaque simplicissima et aquae dulcis et marinae veluti concrementa, neque minus polypi [1]) tamquam infimae conditionis animalia omnibus in partibus tam conformia evadunt, ut nervorum atque vasorum compages in materia penitus homogenea confluant. Quos ordine excipiunt, in quibus nervorum compages iam separata quidem et distincta, centrali tamen quodam instrumento destituta, vel filiformis, ut in vermibus nonnullis, vel reticularis, ut in actiniis, homogenea qualibet in particula, per omnes corporis partes distribuitur.

[1]) Autenrieth, Physiologie. Tom. III. pag. 287. §. 1045.

In quibus vero modo recensitis bestiarum generibus nervorum compages cuiusvis centralis instrumenti expers, vel cum cetera materia intime coniuncta, vel aequaliter distributa, nulla in parte praestat, sed in omnibus eodem prorsus munere fungitur, in iis vis regeneratrix plurimum valet. In polypis [1], actiniis [2], lumbricis variegatis [3], quae omnes huc bestiolae pertinent, maximae non solum revulsae partes restituuntur, sed rescissae etiam istae partes, nova quaedam animalia fiunt, prioribus, quorum partes confecerant, omnino similia. Has itaque bestiolas, si in plures partes dissecueris, quot partes formaveris, tot novas bestiolas procreare licebit.

3. §.

Quibus vero superioris conditionis in animalibus, frigido scilicet sanguine instructis, discretae iam organismi compages centralibus magis magisque instrumentis gaudent, quantum vita animalis provectior omnino est, tantum in iis vis regeneratrix diminuitur, procreatio per solam mechanicam partium separationem iam plane desinit, et singulae tantum quaedam amissae partes inde a trunco restituuntur. In limacibus [4] resecta capita, in cancris chelae [5], in sepiis [6] qui pedes dicuntur, in piscibus pinnae [7], in tritonibus [8] perfectior iam oculus, nec minus cauda, pedesque resecti resarciuntur. Multo inferior regeneratio in salamandris (terrestribus) evadit, licet tritonibus persimilibus; in his enim, ubi plurimum, caudae solummodo aliqua particula restituitur. Quae conspicua vis regeneratricis graduum differentia, in bestiarum certe modo recensitarum generibus, maxime ad pulmonum in ipsis differentias referenda videtur, quandoquidem in salamandris pulmones fabrica cellulosa provectiorem tritonibus vitam animalem significant,

1) Trembley, Mémoire pour servir à l'histoire d'un genre de polypes d'eau douce. rel. pag. 229—253.
Cavollini Memoria per servir a l'historia di polypi marini. Vol. I. pag. 77, 90, 126.

2) Dicquemare, Mémoire pour servir à l'histoire des Anémones de mer. rel. in Philosophic. Transact. Vol. LXIII. pag. 361—403.

3) Bonnet, Oeuvres d'histoire naturelle. rel. Tom. I pag. 167.

4) Spalanzani, Resoltati di esperenze sopra la reproduzione della testa delle limache terrestre. In Memor. della Societ. Italian. Tom. I. pag. 581—612, Tom. II. pag. 506—602.
Bonnet, Oeuvres d'histoire naturelle etc. Tom. XI. pag. 1—61.

5) Réaumur, sur les diverses réproductions qui se font dans les ecrévisses etc. in Mémoires de l'Acad. des Sciences de Paris, 1712. pag. 226.

6) Dicquemare, Réproduction des grands polypes marins. Journal de Physique. Paris. Tom. XXIV. pag. 213—215.

7) Broussonet, Mémoire sur la réproduction de quelques parties du corps des poissons. Journal de Physique. Tom. XXXV. pag. 62—65.

8) Bonnet, Oeuvres d'histoire naturelle etc. Tom. XI. pag. 63—179.
Blumenbach, in Commentar. Gotting. Vol. VIII. pag. 95.
Plateretti Sulle reproduzione delle gambe e della coda della Salamandre, etc. In Scelta di Opusculi interessanti. Vol. XXVII. pag. 18—39.

in quibus vesicularis solummodo, ideoque multo imperfectior pulmo respirationis munere fungitur.

§. 4.

Iam quae calido sanguine praedita sunt animalia, quibus et cerebrum est, et instrumenta respirationis perfectiora, ea superiori vitae animalis gradu gaudent, nec ipsae unquam corporis amissae partes restituuntur. In iis enim vis regeneratrix ad penitiorem quam diximus vitae perfectionem tam plane convertitur, ut externa veluti vis formatricis efficacia solo disiunctarum partium in coitu, quo et vulnera et ossium fracturae sanescunt, sub adspectum cadat. Verum vulnera in ipsis quam in hominibus longe facilius sanantur, ita ut vel maximis corporis partibus amissis, in crudis vulnerum faciebus brevi tempore, neque adhibito ullo artis adminiculo, optimae cicatrices confirmentur. Nobilissimorum certe in feris instrumentorum laesiones ac ossium fracturae vel maxime complicitae, etsi continuato corporis motu, nec evitatis tempestatibus, felicissime tamen sanescunt.

In homine in quo vita animalis summum perfectionis gradum consecuta est, nervorum compages, praesertim cerebrum, sensationum veluti centrum, ita ceteris praestat, ut ipsis functionibus animalibus corporeum quasi fundamentum suppeditet. Quatenus vero, perfectioribus compagum instrumentis centralibus, vita animalis summa apparet, eatenus vis regeneratrix ad imos gradus diminuitur. Vulnera enim, ut in ceteris animantibus calido sanguine praeditis, sic in homine sanescunt quidem, sed difficilius omnino, partiumque nobiliorum laesiones aeque ac maiorum membrorum iacturae, summum semper timorem excitant, ne totum simul organismum pessumdent, ita ut prosperos eventus nonnisi fortuna secunda, arteque scitius in auxilium vocata, sperare liceat.

§. 5.

Porro vis regeneratrix, ut in singulis secundum leges modo expositas animalium generibus multifarie variat, sic in singulis quoque unius eiusdemque animalis partibus varia indole manifestatur. In homine igitur, in quo omnes vitae in universum partes penitus unita repraesentantur, vis regeneratrix perfecta solis infimae conditionis in partibus, in quibus diversae organismi compages nondum satis discretae apparent, deprehenditur. Quae ubi discedere incipiunt, ibi sola quaedam indirecta regeneratio est, cuius denique plane expertes sunt, quae a ceteris organismi compagibus prorsus disiunctae partes, summum quendam singularis perfectionis gradum consecutae sunt. E quibus iam facile intelligi potest, telam cellulosam, quasi infimae conditionis partem, prae ceteris perfecte regenerari; haec enim ex secreta vivida eaque vibrante gelatina, infimo animalium generi, polypis scilicet gelatinosis persimili, tam perfecte regerminat, ut sola

fere ex omnibus organismi partibus pristinam post illatas laesiones formam recuperet. Quae porro instrumentorum in ordine telam cellulosam excipiunt partes, cutis scilicet, aequaliter distributis et vasorum et nervorum reticulis, e stipata tela cellulosa conformata, neque minus ossa quae ex tela cellulosa, materiis quibusdam terreis onusta constant, rel. eae perfectiori plerumque, ut actiniarum genus, regeneratione gaudent, indirecta tamen, siquidem efformata prius tela cellulosa insequenti cuique transmutationi fundamentum suppeditat. Difficilius iam musculi, ligamenta, tendines regenerantur, quamvis nunnullis quibusdam exemplis, scilicet a Nanonio et Baronio in Achillis tendine observatis, sat magnas eorum partes, fortuna ceterum secunda, renasci posse confirmetur [1]). Quae denique partes summum vitae singularis gradum consecutae, absolutissimae conformationis indolem prae se ferunt, membra v. c. tota [2]), et singula sensuum organa rel. eae omnino non regenerantur. Totius hic regenerationis cardo in eo vertitur, quod facta talium partium iactura, crudae vulnerum facies regenerata paullatimque in cicatricem abeunte tela cellulosa obteguntur.

§. 6.

Qui angusti humano in corpore regenerationis limites, medicinae partium integrarum restitutionem molienti maximo impedimento sunt. Attamen, quo tutius metam propositam attingamus, ut regenerationem, solis hic infimae conditionis partibus propriam, quam aptissime in usum vocemus, summa ope nitamur necesse est. Quoniam vero per telae cellulosae regenerationem eiusque progredientes transmutationes, vivus disiunctarum partium coitus effici potest, quod certe ex vulnerum sanatione satis superque elucescit: quaeritur, an tali etiam vivo coitu ad transponendas aliunde partes uti liceat, ut quaedam partes omnis plane regenerationis expertes restituantur. Quod saltem propositum usu iam satis explicitum est, quum partes animalium transponi posse, extra omnem dubitationis aleam positum sit. Sin vero integras corporis partes transponendo re vera restitui posse, ipsam vero hanc restitutionem solum per vivum coitum, interposita telae cellulosae regeneratione, fieri probatum est: ipsae iam quibus ista obsequantur leges, quatenus huc pertineant, accuratius examinandae videntur.

1) Nanoni, Memoria sopra la reproduzione, rel. in Opusculi scelti. Tom. VIII. pag. 362.
Baronio, Lettere intorno alla reproduzione di tutto il gran tendine d'Achille. In Opusculi scelti. Tom. IX. pag. 313—320.

2) De extremarum partium reproductione unum quidem vel alterum exemplum proferunt, quod vero perpetuam regulam ponere nequit, quum potius id argumentum esse videatur, quantum vires naturae peculiari quadam ipsarum efficacia valeant. Quo certe Whitii observationis cuiusdam enarratio pertinet, memoratu quidem dignissima. Puero enim quatuor annos nato, cui brachium ad humeri articulum amputatum fuerat, membrum octo pollicum, colore non solum sed sensilitate etiam praeditum ex ipsa iam confirmata cicatrice excrevit. Alii cuidam trium annorum puero cui duplex in manu pollex congenitus erat, supervacuus pollex, etsi amputatus, bis tamen recrevit, et ungue quidem perfecto praeditus. Tertio quodam in exemplo resecta penis glans ad integrum restituta est.

§. 7.

Primum ipsius coitus vivi quum naturam tum varias formarum differentias pertractare liceat. — Ex simplicium vulnerum parietibus serum exsudat, quod aucta vi, gelatinae, ulterius etiam provectum, materiae fibrosae naturam induit. Quae certe regenerationis materiae [1]), solo scilicet oxydationis gradu inter se diversae, vi vitali perpetuo inde a parietibus vulnerum agente, vel absque superabundante secretione in telam cellulosam transmutantur, confinium partium, ut viva coniunctio effici possit, naturam magis magisque adepturam, — vel similes vitae transmutationes aeque procedente partium coitu, superabundante secretione subeunt. Illam vivi huiusce coitus formam in adhaesiva quae dicitur inflammatione, hanc in suppuratione salutari (productiva) observare licet. — Quaenam vero vivae coniunctionis forma plurimum ad transponendas animalium partes conferat, accuratius iam recensendum videtur.

In adhaesiva inflammatione secretae materiei transmutatio perbrevi tempore conficitur; tantum enim fluidi secernitur, quantum vi vitali perfecte penetrari potest. Qua de causa conglutinationem iam unius vel duorum nycthemerorum spatio perfectam animadvertere licet. Suppuratio vero multo tardius progreditur, quod abundantius effusa eaque non satis vivida materies, in puris formam induta, maxima parte effluit. Totae praeterlabuntur hebdomadae, priusquam serum solidiorem in gelatinam, et gelatina, admixta materie fibrosa, in sanguiferam telam cellulosam carneasque papillas transmutetur, ipsa vero tela cellulosa, continuo agente vi vitali, propriam vicinarum partium naturam, quo tandem nexus vere vivus conficitur, accipiat.

Ipsa quidem celerrima transmutatione adhaesiva inflammatio tardius procedenti suppurationi in transponendis animalium partibus longe omnino praestat, longissimo tamen, quo inter suppurationem transponendae partes retineri debent, plerumque vero retineri nequeunt, temporis spatio, ut hanc ipsam suppurationem inflammationi adhaesivae posthabeamus, magis etiam provocamur. Accedit etiam ad hoc, ut, quum in adhaesiva inflammatione haud tantum vis vitalis consumatur [2]), quantum in suppuratione, iam dubium esse non possit, quin illam in transponendis animalium partibus omnino praeferamus. Quae actuositatis vitalis consumtio, licet exiguis vulnerum faciebus non multum aut nihil in organismum agat, in transponendis tamen partibus, ubi localem transpositionem prospere succedere, magnopere interest, maximi omnino momenti videtur. Pars enim transponenda, quod ubique fere ab organismo soluta, haud nimia vi vegetativa gaudet, vi vitali nimis ad suppurationem impensa, tam plane exhauriri potest, ut vel penitus abolescat, vel, tardius agente vi vitali, cum nova sibi

1) Walther, Physiologie. Vol. I. pag. 294—304.

2) Cf. Graefe, Normen für die Ablösung gröfserer Gliedmaafsen. pag. 20.

oblata parte non coëat, organica itaque partium conglutinatio hac vel illa ratione prorsus in irritum cadat.

Quibus bene perpensis, quanta in transponendis partibus cura adhibenda sit, ut vivus ipsarum coitus semper per inflammationem adhaesivam perficiatur, quam sollicite omnia evitari debeant, quae in uniendis partibus suppurationem excitare possint, iam clarius elucescit.

§. 8.

Quantus vero transponendarum partium nexus initio esse debeat, varie omnino, et hinc inde pugnantibus inter se sententiis diiudicatur, neque ineptum videri potest, hoc argumentum, facile quod nemo dubitat gravissimum, exactius hic loci recensere. Constat certe, partium coitum per primam quae dicitur intentionem, quam suppurationi longe praeferendam esse, iam satis demonstravimus, nonnisi per inflammationem mediocriter synochicam, auctiorem itaque ex utraque coniuncta facie mutuo emanantem vim, fieri omnino posse. Quaeritur autem, quantus transponendae partis cum vicinis ipsi partibus nexus servari debeat, ut auctior illa neque conglutinationi organicae impar actuositas effici possit.

Penitus resecta quaedam quae transponatur pars, vita ideo haud ita destituitur, quin residua vis vitalis pars, quae, quod, per galvanismum extra omnem controversiae aleam ponitur, sub irritabilitatis specie aliquod etiam per tempus remanet, fortuna secunda, partibusque crudis satis vegetis quam accuratissime adaptatis, ad efficiendum vivum coitum plane sufficiat. Quod certe e plurimis observationibus clare intelligi potest. Observatum est v. c. penitus detruncatos digitos, perfecte restituto ipsorum usu, deintegro manu conglutinatos esse [1]). Haud minus prospero successu praerosus nasus adaptatus est [2]). Cutis e brachio hominis cuiusdam exsecta alterius cuiusdam cum brachio coaluit [3]). Servi cuiusdam, qui sponte admissa faciei trucidatione in libertatem se vindicavit, amputatus nasus cum heri facie perfecte solidatus est [4]). E lobis cutaneis natium Indi faciei partes conformare, nec minus amissas aures auribus aliorum hominum resectis restituere dicuntur [5]). Observatum quoque est, hominum dentes cristis gallorum impositos optime et coalescere et nutriri [6]), denique integras

1) Balfour, Observation on adhesion. pag 13. Lespagnol, Gazette de santé. No. VII. Paris, 1817. Hufeland, Journal 1817, 5, pag. 102—103.

2) Garengeot, Traité des Opérations de chirurgie. Sec. ed. Paris, 1731.

3) Carpue, germ. ed. Dr. Michaelis. pag. 25.

4) Dr. Fludd, l. m. l. pap. 12.

5) Dr. Montègre, Gazette de Santé. Paris, 1817. No. IX. Hufeland, Journal, 1817, 5, pag. 106—108.

6) John Hunter, in Carpue, übers. rel. pag. 27.

variorum animalium partes tam prospero successu transpositas esse [1]), ut primo adspectu nihil facilius, quam partium mutilarum ad vivum restitutio effici posse videatur.

Valde tamen dubia est penitus resectarum partium cum corpore conglutinatio. Rarissme enim tanta partibus resectis actuositas inest, ut, quum vis vitalis mutuo agere debeat, cum partibus crudis, quibus adaptatae sunt, coalescere possint, nec ideo, partium resectarum cum corpore coitum tam raro succedere, mirum videri potest. Syracusano quondam cum Turco dimicanti nasus detruncatus est, qui, quamvis ab arcessito chirurgo haud cunctanter adaptatus esset, tamen non conglutinatus est cum facie [2]). Haud meliori eventu ipsi ante hos paucos menses coram Ill. Richtero D. a consiliis rerum medicinalium intimis et Cel. Osannio D. Professore lobum cutaneum e brachio exsectum transponere tentavimus; qui altero iam die penitus putrefactus est. Dentium translatio, licet olim frequentata sit, quod nimis dubia est, iam prorsus negligitur. Partes canibus de rostro resectae, deintegro non conglutinatae sunt [3]). Quae porro Baronius de integrarum in animalibus partium mutua transpositione felicissime perpetrata observavit, ea, Huzardo et Goherio testibus [4]), etsi accuratissime repetita, prorsus tamen vana reperta sunt.

Quibus ex observatis, vitam in resectis partibus residuam ad mutuam eamque perfectiorem vitae communicationem, qua viva conglutinatio effici possit, rarissime sufficere, iam clare elucescit. Ceterum translationem ista ratione institutam, non nisi fortuna maxime secunda, cui tamen nimia fides habenda non est, succedere posse, suo fundamento constat, nec ideo caecus casus agendi legem ac regulam praescribere debet.

Quo tutius vero partium translatio succedat, cogitandum est, nexum transferendae partis cum vicinis ipsi partibus usque adeo servare, donec perfecte coaluerit, eque mutato solo sufficiens et alimentum et vitam trahere possit, ne pristino vitae fonte prorsus privata, inepta reddatur ad sustentandum eum actuositatis vitalis gradum, quo ad efficiendam inflammationem adhaesivam opus est.

§. 9,

Praeterea in restituendis per translationem partibus, ipsa conglutinandarum partium fabrica haud parvi pendenda est.

Quo generalioris enim conformationis indolem prae se ferunt, eo facilius, perinde ac maiori vi regeneratrice gaudent, cum oblatis partibus coalescunt. Iam vero quod e demonstratis clare intelligitur, post telam cellulosam maxima corio vis regene-

1) Baronio, degli inesti animali. Milan. 1804.

2) Carpue, germ. ed. Michaelis. pag. 25.

3) Percy et Richerand, Dictionnaire des sciences médicales. Tom. XII. pag. 345.

4) Ibid. pag. 353.

ratrix inest, unde in transponendis partibus plurimum auxilium exspectari debet. Quae peculiarem potius indolem prae se ferunt, quaeque magis minusve compositae evadunt partes, quales musculi sunt, ossa, cartilagines, aegrius omnino ad translationem adhibentur, quae tandem prorsus fieri non potest, ubi singulae organismi compages, ut in oculo, plane discreta apparent.

Quum vero in perficiendis partium translationibus, eas solum ad restituendum partes eligimus, quarum, quod modo expositum est, vis regeneratrix plurimum valet, simul cogitemus necesse est, tales eligere, quarum natura istarum partium similis videatur, unde et alimentum et vitam accepturae sunt. Quo curatius huius regulae ratio habita fuerit, eo facilius coitus perficietur [1]), eoque perfectius pars restituetur. In restituendis vero faciei partibus, tamquam cutaneis utplurimum, cutis in universum ceteris partibus, quae ad restitutionem adhiberi possint, praeferenda est; praeterquam quod magna ipsius toto fere in corpore diversitate, talis cutaneus lobus adhiberi debet qui colore, soliditate, firmitate, vegetationis genere, restituendae parti quam simillimus evadat. E quibus, ut in eodem exemplo consistamus, iam facile intelligi potest, cutem brachii frontisque restituendis eiusmodi partibus prae ceteris ideo convenire, quod cuti genarum, nasi, labiorum omnino simillima videtur.

Expositis, quae ad partis transponendae fabricam accuratius diiudicandam pertinent legibus, superest, ut et dynamicae et mechanicae conditionis quolibet in casu, quam exactissime id fieri possit, rationem habeamus. De illa prius disputabitur, haec postea exponetur.

In diiudicandis quolibet in corpore dynamicis conditionibus, attendendum est praecipue, an peculiaris quaedam organismi indoles sit, quae ad normam magis minusve respondeat. Quamvis enim cutis partes modo recensitae ad restituendas faciei partes aptissimae et habeantur et sint, singulis tamen in corporibus fit, ut hac vel illa ratione minus idoneae ad transponendum videri debeant. Frontis cutis soliditate, firmitate, colore, mobilitate modo praeferenda est brachii integumentis, modo postponenda. Ceterum fieri potest, ut cutis quum toto in corpore, tum etiam in fronte et brachio, perfecte quidem sana visa, nimis tamen irritabilis, tenuis, mollis, tenera omnino sit. Quae quum vi vitali, qua ad sustentandum alieno in loco vegetationem opus est, plerumque minus praedita sit, necessarium videtur, ut, in transponenda saltem parte, ita praeparetur [2]), ut, quantam fieri possit, spissitudinem, crassitiem, firmitatem, maiorem itaque integritatem adipiscatur. Quum vero sana ceterum sed non satis firma et vegeta cutis ne coitura sit, extimescendum esse, clare elucescat, cutem manifesto laxam, langui-

[1]) Cf. Graefe, Normen für die Ablösung grösserer Gliedmaassen. §. 13.

[2]) Cf. Sect. IV. §. 60. 64. 66. 87. 100. 101.

languidam, infirmam, aliquo vitio affectam, omnibus in partibus concretam, igitur integritate hac vel illa ratione expertem, minus etiam transponendam esse, neque translationem, vel quod partes non coalescunt, vel gangraena cooritur, vel restituta pars plane ineptam formam nanciscitur, omnino succedere posse, iam facile intelligitur. Omnes itaque quum cutis universae, tum transponendae partis affectus morbosi, priusquam translatio fiat, pro ipsorum indole aut penitus amovendi sunt, aut, sin minus id fieri potest, prorsus de incepto desistendum videtur. Ultimum hic auxilium experiendum est, sanam, eamque vegetam alterius cuiusdam cutem adhibendo, quod ab Helmontio [1]) olim perpetratum esse traditur, qui alterius cutem brachii in usum traxerit.

In eligendis ad transponendum partibus superest, ut mechanicas quasdam rationes exactius recenseamus, unde clarius omnino elucebit, quatenus servando lobi cutanei cum vicinis partibus nexu consolidationi subveniendum sit. Ad quas si minus attenderis, neque cutis transponenda pars quoad situm prudentius electa fuerit, lobus transpositus vel compressione, vel tensione, vel quod nimis plicatus est tam vehementer gravatur, ut translatio his solis molestiis successum non habeat. In restituendis quidem genis, naso, labiis, necessarius partium nexus tutissime servari potest, adhibita eiusdem hominis mutilati frontis vel cervicis cute, prout nimirum quoque in casu facile ad restituendam faciei partem transferri potest. Quod vero ad cutis brachii in restituendis faciei partibus usum pertinet, longe maiora hic impedimenta affert, quod duae, etsi ad unum idemque corpus pertinentes, valde tamen inter se remotae partes, firmiter et exactissime quidem uniendae, et unitae diutius retinendae sunt. Iam difficillime alterius cuiusdam hominis cutis exactius adaptata retinetur quod vix fieri potest, ut alter homo cum altero ita coniungi et copulari queat, ne inter partium conglutinationem motibus quibuslibet iisque vel levissimis, quibus prorsus vacare non possunt, commissas crudas superficies et divellant aliquo modo et distendant.

§. 10.

Ceterum quae in conglutinandis per adhaesionis processum, absque omni translatione, partibus, praecepta observanda sunt, ea in transponendis quoque partibus minime negligenda videntur.

Quo praecipue pertinet tempus idoneum accuratius ad perficiendam operationem eligendum. Haec enim fieri non debet, quando vis organismi formatrix aliqua aegritudine impedita, vel qualibet alia de causa, v. c. menstruatione, diarrhoea, ceterisque profusioribus secretionibus in singula quaedam organa derivata, a conglutinandis partibus prorsus alienatur.

[1]) van Helmont de magnetica vulnerum naturali et legitima curatione. rel. Paris, 1621. §. 23.

Haud minoris momenti ipsa transponendarum partium consolidatio est, summa scilicet cura perficienda, ut exactissime commissa utraque facie, et vis vitalis, quae mutuo agere debet, commodius invicem transmitti possit, neque effusa coagulabilis lympha, quae post varias transmutationes vitam consecutura est, ratione crudarum facierum ambitus, abundantius accumuletur [1]. Partes vero, quod per se clarum est, ita inter se committendae sunt, ut transponendae partis facies cruda crudae restituendae partis faciei quam exactissime adaptetur, adaptataque omnibus quae coire debent in partibus, suturis retineatur, quae sicuti res postulat, haud solutae modo remitti, modo constringi possint [2].

Ceterum, ne quae heterogenea insint, sollicite cavendum est, quae, etsi partibus accuratissime inter se commissis, semper tamen crudas facies a mutuo contactu ita prohibent, ut citius ipsae coire vix possint. Quo praecipue pertinent sanguinis coagulati partes, quae vulneris oris nondum sutura comprehensis, accuratius eliquatae non sunt, neque ad consolidandum vulnus ulla ratione conferunt, siquidem, quod coagulatio indicat, diutius circumfuso aëri expositae, vita prorsus carent, et ipsae, si vita praeditae essent, abundantius accumulatae tali vis vitalis actuositate indigerent, qualem a minoribus in conformando naso vulnerum oris vix expectare licet. — Simili ratione sanguinis profluvia secundaria agunt, quae vel a praepropera in sanguine sistendo festinatione vel ab incuria coorta, ipsa provectiorem vulneris consolidationem praepedire valent, sanguine scilicet inter commissas crudas facies profuso. — Haud minorem quoque molestiam quaevis stypticorum medicaminum genera afferunt, nec minus pulvis illapsus, arenulae spongiis immundis vel aqua turbida crudis partibus illatae [3], superimpositum emplastrum glutinans, quod fortius adstrictum hic illic intra coniunctas vulneris oras penetrat, et sutura imperitius accommodata, quae vel nodis, vel filorum extremis partibus in ipsum vulnus propendentibus, vel instrumentis ad constringendum adhibitis, crudas partes hac vel illa ratione offendit.

Partibus sutura apte comprehensis, omni cura cavendum est, ne vitales lobi cutanei transmutationes, extrinsecus agentibus causis aliquo modo praepediantur. E quarum numero praecipue partium per circumfusum aërem offensiones nominandae sunt, quibus crudae vulnerum facies et irritantur et ipsae haud raro molestissime afficiuntur. Ceterum calore animali aëre frigidiori continuo diminuto fieri potest, ut residua in lobo vis vitalis penitus evanescat. Quod certe adaptatis convenientibus ligamentis, quibus restituta pars undique exactissime circumdetur, commodissime evitari potest.

Praeterea ut in omni partium consolidatione, sic in transponendis animalium par-

1) Graefe, Normen für die Ablösung grösserer Gliedmaafsen. pag. 50—53.

2) Cf. §. 26 123.

3) Graefe, Normen für die Ablösung gröfserer Gliedmaafsen. pag. 33.

tibus praecipiendum est: ad quem vis vitalis gradum in oppositis sibi partibus crudis dirigenda sit? Sola, quod antea commemoratum est, inflammatione mediocriter synochica secreta coagulabilis lympha ita transmutatur, ut ad organicam partium consolidationem facere possit. Inflammatione vehementiori coorta, et nimis quidem synochica (quae tamen pro transponendae partis natura rarius expectari posse videtur), nimia partium actuositas tum institutis venaesectionibus, tum propinatis medicaminibus refrigerantibus, ne vis vitalis se ipsa absumat, frangenda et compescenda est. Sin autem erethicam magis indolem inflammatio prae se fert, nimia nervorum sensibilitas remediis mitigantibus antispasmodicis tam in universum, quam ad locum diminuenda est et coërcenda. Torpescentibus partibus, remedia et roborantia et incitantia, quae et toti organismo et parti vulneratae maiorem actuositatem afferant, adhibenda sunt [1]).

§. 11.

Quodsi transponendae partis de vicinis partibus haud penitus resectae cum cruda ipsi oblata facie consolidatio secundum praecepta modo exposita perpetrata est, et ipsi levi attrectatione confirmataque hic illic cicatrice, partium nexum iam firmiorem, coitum vero perfectum esse nobis persuasum habemus; iam dubitandum non est, quin translata pars sufficientem e mutato solo vitam trahat, ipsaque, quod antea periculosum fuisset, iam tutissime de pristino solo resecari possit. Resecta omni qua fieri potest cura servari debet, iam enim ab una tantum parte vitam accipit, quam usque adeo e duabus trahebat. Igitur arcendae sunt omnes causae, quae vel mechanica ratione, comprimendo, tendendo, vel physica, calorem animalem derivando, vel chemica, irritando, vel dynamica, debilitando, ipsius actuositatem absumant. E quibus iam facile intelligitur, necessarium esse, ut resectus lobus cutaneus omni in parte, qua nimis eum collapsurum esse expectandum videtur, accuratissime circumdatus, emplastro aliquo glutinante suffulciatur, quae vero ex resecto nonnunquam fiunt sanguinis profluvia, ea haud cunctanter esse sistenda, nec progredientem ipsius conformationem per excisionem partialem, suturas, pressionem prius fieri debere, quam vis vitalis plastica apta nutritione satis aucta, et ipsa consolidatio perfecta videri possit, vix commemoratu dignum videtur.

§. 12.

Expositis quae ad restituendas integras corporis humani partes pertinent legibus, qui hac in parte, pro nostrae scilicet ut nunc est scientiae conditione, artis medicae fines sint, clare elucescit.

[1]) Quae ad dirigendam omnibus in partibus crudis per adhaesivam inflammationem uniendis vim vitalem praecepta pertinent, ea alio quodam loco iam accuratius exposita tradidimus. Vid. Graefe, Normen für die Ablösung gröſserer Gliedmaaſsen. pag. 33, 36, 75, 80.

Superioris conditionis partes, v. c. sensuum organa, quod perfectissimae vitae singularis indolem prae se ferunt, transponendo omnino non restitui posse, facile intelligitur.

Iam maiora, et ipsa quidem inferioris quam sensuum organa conditionis humani corporis membra, aliis quibusdam rationibus, praesertim quod generalibus consolidationis legibus satisfieri vix potest, utique restitui nequeunt. Amputatum enim vel brachium vel femur alio quodam membro ita restitui posse, ut commissis inter se crudis faciebus sibi invicem et exactissime quidem respondentibus, similes tantum organorum particulae coniungantur, neque profluvio aliquo sanguinis secundario, quod molestissimas semper accumulationes efficit, impeditae, prospere solidescant, vix cogitari potest unquam. Neque resectis vasis nervisque maioribus secretae coagulabilis materiae vita sustentandae parti transpositae et ei quidem maximae sufficit. Quae tamen omnia, licet prosperrime (quod nunquam fieri potest) succedant, nullum omnino fructum promittunt, siquidem alter homo non nisi alterius trucidatione sanatur, verum uterque, nimia vulneris magnitudine, haud negligendum periculum subit.

Minora certe membra, digiti nimirum, facili negotio, si quid nostrum iudicium valet, et tutius quidem transferri possunt, quod penitus detruncata, et ipsa fortuna adversa, haud raro deintegro solidescere observata sunt. Curatius tamen antequam ipsa translatio fiat, perpendenda sunt, quae cum ad partes exactissime inter se committendas, tum ad crudarum partium formas pertinent. Ipsum denique translatorum digitorum perfectum usum sperare licet, quod penitus detruncatos et adaptatos deintegro perfecte mobiles magis magisque evasisse non semel observatum est.

Partium vero faciei ad vivum restitutionem longe uberrimum fructum promittere, extra omnem fere dubitationis aleam positum est. Non enim ut alia quaedam pars usu privetur exigit, neque ullus, ne prospere succedat timor subest, quod facies maxima parte e corio conformata, corio etiam, cuius, quod modo demonstratum est, vis regeneratrix plurimum valet, commodissime restitui potest. Quae denique de singulis faciei partibus per translationem restituendis exponenda videntur, praegressae de his rebus experientiae ratione habita, fere haec sunt:

Aurem modo resecta de alio quodam homine aure restituere [1]), quamvis prosper saepius successus sperari possit, crudelissimum tamen est, quod trucidatio trucidatione curatur. Proximam vero posteriorem cutem adhibere [2]), minus etiam convenire videtur, quippe quae nullo modo varios eosque peculiares auris anfractus, gyros, sinus repraesentare potest, quos in aure artificiali e ligno, vel argento, vel charta glutinata accuratius efformanda eaque convenienter coloranda exactissime imitari licet, quae certe plus deco-

1) Gazette de Santé. Paris, 1817. N. IX. Hufeland, Journal, 1817. 5. pag. 108.

2) Taliacotius de Curtorum chirurgia. Lib. II. Cap. 20. pag. 71.

ris conciliat, quam auris non nisi rudius se corrugata cute efformata. Accedit etiam ad hoc, ut, quum naturalem formam exactius repraesentet, sonos etiam melius omnino colligere possit, sensus itaque usum tam perfecte restituat, ut auris per cutem transpositam restitutio semper fere supervacua et prorsus negligenda videatur.

Genarum [1]) labiorumque [2]) per cutis brachii vel cervicis transpositum restitutio, quod faciei partes incredibiliter extendi possunt, utique supervacua est, quandoquidem faciei vulnera et ipsa quidem maiori materiae iactura latius dehiscentia, fortiter adstrictis oris facile plerumque quod iam satis superque observatum est, sanescunt. Quam incredibilis enim earum partium extensio effici possit, facile labii leporini ex operatione intelligitur, qua, integro saepius labio cum vicina aliqua cute carneque resecto, nihilominus partes per solam constrictionem restitutae, perfecte solidescunt [3]). Sin autem nimia materiae iactura faciei cutis restituendis partibus vix sufficere visa fuerit, commodissime vel brachii, vel cervicis, vel colli etiam cutis (fieri enim potest, ut restituendae parti proxima sit), ad supplendas partes adhiberi poterit.

Saepius haud dubie palpebrae per translationem restitui debent. Quod cum in utraque palpebra necessarium esse potest, tum praecipue ad inferioris iacturam pertinet, quae si facta est aliquo modo, foedissima eaque irreparabilis bulbi resolutio sequitur, quod minus cohibito lacrymarum profluvio, perpetua tunicarum oculi et molestissima quidem siccitas cooritur, quae maligniores mox inflammationes exedentesque suppurationes contrahit. Ipsi ante hos proximos annos palpebram inferiorem blepharophthalmitide erysipelatosa in gangraenam abeunte destructam observavimus, unde haud mediocre ipsi bulbo periculum imminebat. Morbo primario, quantum fieri poterat sanato, amissam partem restituere conati, proximam genae cutem, cunctanter quidem et timide, quod exemplum defuit, prospero tamen successu refleximus.

Organica denique nasi restitutio, cui Rhinoplastices nomen tribuere non dubitavimus, uberrimum, si quid nostrum hic iudicium valet, prae ceteris translationibus fructum promittit, et ipsa maxime necessaria est. Cuius accuratior omnibus in partibus expositio, in qua totius operis nostri cardo vertitur, iam absoluta (quantum id fieri poterat) generalium de transponendis partibus sententiarum demonstratione, alterum sibi et aptiorem quidem locum vindicat; nec enim prius ad singula commodius transire licet, quam generales leges quibus haec obsequuntur, omni qua fieri potest cura recensitae sunt atque illustratae.

1) Carpue, germ. ed. Michaelis. pag. 16, 17.
2) Taliacotius de Curtorum chirurgia. Lib. II. Cap. 19 pag. 67.
3) Graefe, Angiectasie. pag. 63.

SECTIO II.

Rhinoplastices historiam complexa.

A. Periodus prima.

Nasi e frontis cute apud brachmanas conformatio. Haec methodus exeunte saeculo decimo quinto Italis tradita, et a Branca quodam medico primum obscure exercita.

§. 13.

Quando prima literarum disciplinae initia indagamus, ab historia generis humani remotissimi per vetustissimae artis reliquias, in Palibothrae, Goae, Canogae urbium ruinis obvias [1]), neque minus per antiquissima chronologiae Indicae argumenta [2]) perque linguarum etymologiam [3]), ad sacerdotum Indicorum mysteria [4]) perducimur, ubi medicina, arcte cum religione coniuncta, in incunabulis erat, et Rhinoplastices origo a reconditis templorum adytis repetenda videtur. Quod iam ex eo intelligi potest, quod sacerdotes, qui Coomae dicuntur, neque iniuria brachmanarum nepotes [5]) habentur, hodierno etiam die, soli apud Indos astrologiam, physicen colunt, solique medicinam faciunt, ipsi etiam soli, nisi omnibus auctoribus incerta fides est [6]), iam inde ab antiquissimis temporibus, iisque vel maxime remotis, usque ad nostram aetatem, nasum e frontis cute conformare solent. Accedit etiam ad hoc, ut nulla plane huius artis vestigia in historia ceterorum fere omnium antiquitatis populorum, licet literarum disciplina provectiorum, deprehendi possint, ita ut plurimarum praeterea, quae in administranda operatione fieri solent, caeri-

1) Chambers Abhandlungen über die Geschichte Asiens. Vol. III. pag. 15—26.

2) Wilford, Tr. on Egypt from the ancient books of the Hindoo's in Asiat. Researches. Vol. III. p. 295 et 468.

3) Wilford, l. m. l.

4) Vid. K. Sprengel's Geschichte der Arzneikunde. Tom. I.

5) Grahmann, Letters on India in Carpue, germ. ed. Michaelis. p. 17.

6) Carpue, germ. ed. Michaelis. p. 15—21.

moniarum [1]) ratione habita, nullum iam dubium exoriri possit, quo minus artis illius origo ab Indorum sacerdotibus repetenda videatur.

Verum enimvero in ipsius patria Rhinoplastice, ubi pariter atque ceterae artis hominum partes, ab una aetate alteri semper eadem neque ulla ratione mutata tradebatur [2]), primariam, eamque simplicissimam formam ad amussim servavit, qua de causa neque saeculorum saecula ad eam obliterandam suffecerunt, neque uberrima, in exercenda arte comparata experientia ad ipsam amplificandam aliqua ex parte contribuit. Frequentes ex amputatis nasis coortae, et foedissimae quidem deformitates, quae, quum in India, tum omnibus fere in terris meridionalibus, et solitis poenarum generibus annumerantur, et flagrantissima apud nationes istas ulciscendi cupiditate, vix non semper fiunt, ansam praebuerunt, ut magna hominum facie mutilorum multitudo, non solum ipsa ex India, sed etiam e remotissimis quibuslibet regionibus, callidorum Coomarum auxilium implorarent. Quomodo tandem factum est, ut artis nasum conformandi cognitio super totam Asiae partem meridionalem, Persiam, Arabiam, magis magisque sese expanderet, quod omnis fere de hisce rebus historica notitia testatur [3]).

Per maximam aetatis mediae partem, Hispani, Siculi, Neapolitani, quoad artes literasque arcte cum Arabibus coniuncti fuerunt, unde factum est verisimillime, ut artem nasum conformandi orientis populi cum Italis communicarent [4]), nam eodem fere tempore secundum codicem MS. [5]) in bibliotheca monachorum Dominicanorum Panormi servatum, a Branca quodam Siculorum medico, et primum quidem anno MCCCCXLII felicissimo successu exercita est. Cuius Antonius [6]) filius acceptam a patre artem postea Boianorum genti tradidit [7]). Quam vero omnes adeo arcanam habebant, ut methodus ipsis solita, nunquam plane innotesceret. Ita tandem factum est, ut uberrima haec chirurgiae operantis pars ab omnium medicorum diligentia prorsus abalienaretur, neque disciplinae medicae aliqua saltem ex parte fructuosa evaderet. Qua tristiori Rhinoplastices conditione, et perfectioni artis prorsus contraria, prima historicae partis periodus sub finem saeculi decimi quinti excurrit.

1) Pennant, View of Hindostan. Lond. 1798. Vol. II. p. 237.
2) Sprengel's Geschichte der Arzneikunde. Tom. I. pag. 103—105.
3) Carpue, germ. ed. Michaelis. p. 18.
4) L. m. l. p. 21.
5) Peter Ranzano in Carpue etc. pag. 1.
6) Eloy, Dictionnaire historique de la médecine, sub voce Taliacotii.
7) Ibid. sub voce Taliacotii, Cortesi, Viauci.

B. *Periodus altera.*

Inde ab origine methodi Italicae nasum per lobum cutaneum, cicatrice inductum e brachio exemtum restituendi, scilicet artis literarie pertractatae exordio, usque ad manifestam ipsius obliterationem, spatium saeculo decimo sexto et decimo nono interpositum amplexa.

---

§. 14.

Rhinoplastice, ex Oriente in Italiam transposita, mox valdopere commutata est. Medici Calabri, qui ingenue medicinam faciebant, neque severioribus sacerdotii legibus in exercenda arte obstricti erant, variis adminiculis, provectiori iam apud ipsos medicinae statu inventis, methodum operandi quantum poterant, ad perfectionem quandam perducere conati sunt. Primum itaque, quod verisimillimum est, ut frontis deformitatem, post adhibitam methodum Indicam semper remanentem, neque minus periculum in cranio latius nudando nonnunquam positum, evitarent, operam dederunt, ita ut primi essent, qui consilium caperent, loco integumentorum frontis brachii cutem tamquam aptiorem restaurando naso materiam adhibendi. Certe Brancas illos et Boianos, qui primi in Calabria nasos restaurabant [1]) deficientem nasi partem e brachii cute resarcire soluisse claris quibusdam e vestigiis patere videtur. Quae vero ad emendatam methodum propius accederent, ea usque ad exitum Boianorum novissimi qui A. MDLXXI fuit [2]), magna continuo in obscuritate versabantur, ita ut omnis historica notitia [3]), quae de perfectiori methodo, sola fere in Calabria illis temporibus exercita [4]), ad nostram usque aetatem pervenit, partim quod sibi ipsa multis rationibus contraria, partim quod nimis manca et mutila est, ad elaborandam historiam prorsus fere inepta videatur.

Primus Taliacotius artem amissum nasum ad vivum resarciendi, exeunte saeculo decimo sexto, e meridionali Italiae parte Bononiam patriam ipsius transtulit, insigni ibi successu exercuit, consuetudini res fructuosas arcanas habendi eripuit, et verae artis dignitate condecoravit. An Taliacotius, qui eodem tempore, quo Boianorum novissimus mor-

1) Gourmelenus Art. chirurg. L. I. p. 75. Paris, 1580.

2) Eloy, Dictionnaire historique de la médecine. Sub voce Cortesi et Vianci.

3) Alexandri Benedicti Anatomiae Lib. II. Cap. 39. Venet. 1497.
Gabr. Fallopius de Decoratione. Patav. 1566. Cap. XI.
Andreae Vesalii Chirurg. magn. Lib. III. Venet. 1569.
Ambr. Paraei Opera omn. Ex ed. Guillemaux. Paris, 1582.

4) Joannes Schenkius, qui Friburgi fuit, et Griffonius, Hildani praeceptor, Lausannensis, soli extra Calabriam artem nasos restituendi exercuisse dicuntur. Cf. J. Schenkii Observat. medicar. rar. Francof. 1600. Lib. I. De capite. Bern. 1598.

mortuus est, floruit, huius discipulus fuerit, erui vix potest [1], certum tamen videtur, et fere evictum, cum istis medicis, qui antea operationi illi operam dederunt, arctius eum coniunctum fuisse, non enim fieri potuisset, ut opus [2], quod de resarciendis curtis faciei partibus composuit, tantam copiae, diligentiae, qua praecipue excellit, speciem prae se ferret. Ceterum, quoad historiam evolutionis artis nostrae, notatu dignissimum est, conspicua libri laudati integritate, saeculo post coniecturalem methodi Indicae in Italiam transpositum editi, ne ullam quidem huius transpositus mentionem fieri [3]. Unde verisimillimum fit, Brancarum primum acceptam ab Indis methodum, callide et audacter iam ab initio emendatam valde commutasse, veramque ipsius originem ex proposito tacuisse, quo magis suae virtutes elucescerent. Verisimile etiam a successoribus ipsius ita frequentata, ut sola brachii cute uterentur, postea Boianorum genti sola hac forma tradita est. Omnis itaque verae Rhinoplastices originis recordatio facilius obliterari potuit, quoniam solae Brancarum et Boianorum gentes hanc artem callebant. Verum si seri Brancarum nepotes primariam Indicam methodum haud amplius noverant, quomodo fieri potuit, ut ista quam diximus notitia ad Taliacotium usque pervenerit, cuius temporibus Boianorum novissimus mortuus est? Ipse Taliacotius, se Indicam istam methodum plane ignorasse eo testari videtur, quod laudati operis capite decimo tertio [4], ubi varios cutis corporis humani locos, scilicet restituendo naso plus minusve idoneos recenset, frontis cutem cui musculus subiaceat minus prodesse expresse contendit.

Taliacotii liber, qui ratione Rhinoplastices vere classicus haberi debet, primam et accuratiorem quidem artis nasum ad vivum restituendi expositionem continet. Praescribit enim, quomodo aegroti praeparandi videantur, quando et quomodo singuli operationis actus administrari debeant, et qualis curatio secundaria instituenda sit. Ligamenta ingeniose excogitata, instrumentaque tunc temporis usitata, in tabulis ligno candide incisis exhibentur, et additae accuratiores figurae ἐγχειρήσεις repraesentant, quas facilius et exactius imitentur medici. Totius vero methodi a Taliacotio traditae, et in Italia frequentatae cardo in eo vertitur, quod nasus truncus per lobum cutis brachii resarcitur, post factas praescriptas incisiones a brachio non separandum, ita ut tempore, quo cum cetera cute adhuc cohaereat, ad posteram insitionem aptius praeparari possit [5]. Haec enim haud prius poterat effici, quam lobus iste cutaneus tribus ipsius marginibus et facie inferiori cellulosa excisus, omnibus locis crudis cicatrice penitus fere obductus erat [6]. Diffi-

1) Eloy, Dictionnaire historique de la médecine. Mons. 1778. Sub vocibus Cortesi, Taliacotii.

2) Gasp. Taliacotius de curtorum chirurgia per insitionem. Venet. 1597.

3) L. m. l. Lib. I. Cap. 19.

4) L. m. l. p. 58.

5) L. m. l. Cap. X. p. 31.

6) Ibid. p. 32. „Virilem vero aetatem ingreditur, (propago) cum latius sese exporrigente callo, totus

cillima totius instituti pars ipsa haec lobi cutanei in brachio haerentis curatio habebatur, quod fortuna minus secunda, bonus curationis eventus facile in anni spatium differri poterat [1]).

Ceterum Taliacotius plurimis aeque operationibus, quae feliciter successerant ac edito egregio isto opere, summam longe lateque gloriam consecutus est, ita ut omnibus Europae ex partibus auxilium eius peteretur, et longum per tempus absque gloriosa ipsius ostentatione [2]), omnibus inventor artis imponeret, cuius saltem diligentissimus amplificator ac maioris perfectionis auctor haberi debet. Immatura morte vitae officiosae ereptus est, obiit enim Bononiae munere medicinae et anatomiae professoris functus, anno aetatis suae quinquagesimo tertio, p. Chr. n. MDXCIX, maximo ceterorum luctu. et summam omnium venerationem consecutus. Senatus urbis, cui vitam suam fructuosissimam consecraverat, una cum facultate medica, cuius membrum fuerat, memoriam ipsius monimentis conservarunt, quae ad nostram usque aetatem pervenere [3]). Quanta Taliacotii gloria fuerit, quae et quanta dexteritate sua perpetraverit, e scriptis videre licet, post librum ipsius editis [4]), quae tamen nil nisi expositiones continent, saepius inter se pugnantes, easque vel maxime perfunctorias.

Statim post Taliacotii exitum, operatio ista tam artificiosa, quae et arti et litteris tot et tanta incrementa promiserat, iam obliterari coepit. Quam nemo postea imitari conatus est, quod magnam facultatem, nimiam omnino medici dexteritatem, constantiam, animum ad moliendas res maxime pronum exposcere videbatur. Ultimus eam Molinetus exercuit, qui auctore filio [5]), ineunte saeculo decimo septimo Venetiis floruit. A quo inde tempore Rhinoplasticen medicos unquam exercuisse, haud amplius relatum invenitur, ita ut magis magisque in oblivionem caderet. Invidia et obtrectatio, in obscurandis virtutibus nullo non tempore officiosae, Taliacotii quoque eximio operi adversabantur effeceruntque ut egregia ista quantaquaeque contemtui turpique ludibrio haberentur. Mox methodus Italica ne digna quidem visa est, quam imitarentur, neque defuerunt ipsi medicorum praestantiores, qui perfici eam posse, omnino dubitarent. Vincentius Crucius [6])

obdurescit, totus iam exsiccatus est." Et porro: „In virili aetate traducem oportet arripere et cum curtis partibus novo insitionis consortio copulare rel."

1) Conf. §. 102. 106. 107.

2) Conf. Taliacot. L. l. Lib. I. Cap. 19.

3) Carpue, germ. ed. Michaelis. p. 3 et 4.

4) Thomas Fienus, de praecipuis artis chirurgicae controversiis. Francof. 1649. Lib. XII.
J. B. Cortesi Miscellaneorum med. Decades denae. Messanae, 1625. Dec. III.
Hildanus, Obss. chir. Bern. 1598.
Anton. Molinetus Dissert. anatomic. et pathologic. de Sensibus et eorum organis. Patav. 1669.

5) L. m. l.

6) Carpue, germ. ed. Michaelis. p. 9.

anno circiter MDCXII medicinae professor Romanus fieri eam non posse, sibi persuasum habuit. Quam nulla ratione locum habere posse, de la Fayius [1]) eo probare voluit, quod canibus excisam cutem et carnem iterum agglutinare frustra conatus erat. Prudens Heisterus [2]) hanc operationem fieri posse negavit, Eloyius [3]) aequum certe iudicium fert, quum, quod exerceri prorsus desierit, eam haud effici posse argumentatur. Ipse Dionisus [4]), inter Gallicos chirurgos longe meritissimus, narrationes de nasi ad vivum restitutione tanquam veris factis minus superstructas, solummodo oblectationis causa excogitatas esse irridens autumat. Quaestione sub finem saeculi decimi octavi praeside Duboio in facultate medica Parisiensi proposita [5]): „An nasus e brachii cute restitui posset", omnes contrarias illi sententias uno ore protulerunt, quum methodum Italicam solo novarum rerum studio progenitam excogitatamque esse, neque ulla ratione vivo in corpore effici posse crederent. Ita tandem prostrata iacuit Rhinoplastice, ut ipsi aetatis nostrae eruditissimi historiae medicinae scriptores, et ipse quidem Sprengelius et Schregerus, quum de ea dissererent, Taliacotii genuinum opus adire, operae pretium non iudicarent, quod si factum fuisset, nunquam falso ab aliis tradita, denuo divulgassent [6]). Enarrationibus obliteratae eximiae methodi chirurgicae singuli iam academici solummodo utebantur, ut vel eximium quoddam humanae mentis aberrationum specimen clare ante oculos ponerent, vel ut una cum auditoribus horas divinae arti consecratas fabulosis historiis iisdemque ridiculis fallere possent.

Flori similis fructifero operatio illa, quae iam uberrimos fructus pollicebatur, initio alterius periodi currente saeculo decimo sexto celeriter et laete effloruerat, in dubium vocata, ludibrio habita, et quoad genuinam ipsius formam oblivioni mandata, a decimo septimo inde saeculo, ad decimum octavum iacuit, itaque media eius aetas excurrit.

1) L. m. l. p. 14.

2) Carpue Chirurgie. Nürnberg, 1752.

3) Dictionnaire historique de la médecine. Mons. 1778. Sub voce Talicot.

4) Ipsius enim verba sunt: „Je prends ces histoires plûtôt pour des contes faits à plaisir, que pour des faits véritables. Dionis Cours d'Opérations de chirurgie. Paris, 1782. 2de Partie. p. 589.

5) Percy, Dictionnaire des sciences médicales. Paris, 1815. Tom. XII. p. 545.

6) Sprengelius et Schregerus v. c. narrant: Taliacotium musculari carne ad restituendum nasum usum esse, quamvis semper cutem adhibuerit. Quae saltem per tria libri primi operis sui capita doctissime pertractat. Cf. Sprengel's Geschichte der Arzneikunde. Vol. III. p. 472. Schreger's Grundrifs der Operat. p. 56. Taliacot. de curt. Chir. Lib. I. Cap. XIV. XVII.

C. *Periodus tertia.*

Initium saeculi decimi noni. Methodi Italicae, omnibus quidem numeris absolutioris, sed per dua fere saecula obliteratae in Germania restauratio; prima eius quae innotuit cum Indica methodo coniunctio. Priorum methodorum examen experimentis fundatum, et emendatio. Novae operandi methodi Germanicae, scilicet insitione lobi cutanei e brachio exemti, neque cicatrice inducti, praegressarum commoda complexae, explicatio.

---

§. 15.

Artem curtas faciei partes ad vivum restituendi sub finem saeculi decimi octavi penitus prostratam vidimus. Per duorum saeculorum spatium absolutior ista et iam pridem prosperrimo successu frequentata Italica methodus prorsus obliterata iacuit, unico eius testimonio fides derogata, et ipsa, quasi fieri omnino non posset in dubium vocata est. Verum bene conscii, quam facile, et quantos quidem in errores genus hominum, studio et cupiditate, ab altero rerum extremo ad alterum transiliendi seductum, cadere soleret, genuinum illud Taliacotii opus, prioribus iam quibus artem tradidimus annis, quam accuratissime pertractare non dubitavimus. Mox, quum genus scribendi valde probandum, ac ipsam operationem omnibus partibus egregie explicatam esse videremus, eo pervenimus, ut in intimo animo nobis persuasum esset, Taliacotii virtutibus maximam eamque turpissimam iniuriam illatam esse, quum, quod minus cum intellexerant medici. vel praecepta eius ad perficiendum difficiliora crediderant, in facilioribus potius elaborantes ipsi non dubitaverint, alterius praestantiam atque virtutes ludibrio habere, imo calumniari, quo commodius scilicet propriam ipsorum infirmitatem celarent. Quam methodo Taliacotianae fidem habuimus, ea iam A. MDCCCXI^mo^ nos impulit, ut puellae cuidam deficientem nasi apicem e partibus lateralibus membranaceis restituere conaremur. Quae pars, coram Perill. Hufelandio, Sacrae Regiae Maiestatis Archiatro et a Consiliis status, quem, omissis ceteris medicis, honoris causa nominamus, iam tunc temporis perfecte et feliciter restituta est. Italicam vero methodum, quamvis publicis in scholis iam pridem auditoribus a nobis expositam, haud prius tamen quam post reditum e bello pro libertate proximo, octavo ante Idus Maii A. MDCCCXVI [1]), toto ipsius ambitu adhibendi occasionem nacti sumus. Adiit enim nos adolescens validus, qui in proelio ad Parisios commisso nasum per gladii ictum amiserat. Hoc igitur tempore [2]), nempe initio saeculi

[1]) Actus operationis alter, insitio cutis brachii in nasum mutilum, quod per se iam facile intelligitur, multo serius fuit.

[2]) Cf. Sect. IV.

decimi noni, nasum e brachii cute primum restituimus, postquam haec operatio, initio saeculi decimi septimi ultimum [1]) a Molineto repetita, per duorum fere saeculorum spatium penitus obliterata iacuerat.

Nonnullis praeterlapsis mensibus, Ill. Rudolphius, collega noster longe reverendissimus, Augustissimo Borussorum Regi a consiliis rerum medicinalium intimis, qui operationi isti interfuerat, illo ipso anno (MDCCCXV[to]) Carpuium de Indica nasum conformandi methodo librum quendam publici iuris fecisse, benevole nobiscum communicavit. Quem quum paullo post nacti essemus, Michaelii Doctori, olim discipulo, viro versatissimo tradidimus, ut editionem germanicam curaret, quam addita praefatione a nobis conscripta A. MDCCCXVII[mo] publicavit.

Post egregium istud modo commemoratum Carpuii opus, eodem tempore, quo in Germania Italica methodus restaurata est, simul in Britannia, Indica effloruit. Nam auctor noster vivo inter Indos Britannosque commercio tam sollicite usus est, ut omnem priorem de Indica methodo notitiam quam diligentissime colligeret, itaque nasum e frontis cute conformandi artem, qualis inde a remotissimis temporibus ad hodiernum diem usque apud Indos frequentatur, in Britanniam transponendo, magnam sibi gloriam pararet. Licet methodus illa medicis Europaeis antequam Carpuii opus prodiit, iam e prioribus descriptionibus cognita fuerit [2]), et in ipsa, quam Carpuius exhibet rationis operandi explicatione maior etiam et perspicuitas et cura disideranda videatur, ea tamen auctori nostro haudquaquam laus deroganda est, quod primus in patria operationem istam suscepit, primus ad finem perduxit, eamque callide nobiscum communicavit. Quam parum vero medicus iste tam eruditus Italicam methodum perscrutatus sit, quam obiter Taliacotii opus, et id quidem solius historiae causa pertractaverit, e falsa [3]), quam de Italica methodo subiicit notitia videre est. Ceterum nimio methodi Indicae amore occupatus, Italicam, nunquam a se adhibitam, prorsus neglexit, ita ut in varias reprehensiones incurrere videatur, quod in re, ab uno saltem latere conspecta elaboravit.

Quum vero in animo esset Rhinoplasticen omnibus ipsius in partibus quam accuratissime cognoscere, non dubitavimus, Indicam etiam methodum, quae, quod facilius omnino adhibetur, Italica longe praestantior videri potest, usu et experimentis explorare. Mox, quum prosper operationis primae successus palam factus esset, optatam occasionem nacti, adhibito et Carpuii opere et Percii [4]) descriptione, primum die XXIX[no] M. Julii A. MDCCCXVII[mi] [5]) Indicam methodum in usum traximus, ad restituendam scilicet

1) Cf. §. 14.

2) Vid. Gentleman's Magazine, 1794, in Carpue germ. ed. rel. p. 15.
Cf. Percy, in Dictionnaire des sciences médicales. T. XII. p. 547. Paris, 1815.

3) Cf. Carpue, germ ed. Mich. Praefatio p. VIII.

4) Percy, Dictionnaire des sciences médicales. Tom. XII. p. 547. Paris, 1815.

5) Cf. §. 53—58.

matronae cuiusdam quinquagenariae faciem, quae nasum ulcere carcinomatoso exedente amiserat

Sic in Germania separatae usque adhuc operandi methodi primo coniunctae sunt, quarum repetita administratio fructuosissimas mox unde utriusque methodi tum commoda, tum incommoda clarius elucescerent, comparationes admisit. Simul tertia quaedam coorta est methodus, media scilicet inter priores duas, quam, ut facilius ab istis distingui posset quodque in Germania patria nata est, Germanicam nominavimus. Indica operandi methodus, qua nasus e frontis cute nondum confirmata cicatrice, tam cito restituitur, ut interdum iam sex hebdomadarum spatio penitus sanescat, semper. quod e speciali expositione facilius intelligetur, molestam in fronte cicatricem relinquit, et ipsa, quod cranium latius nudatur, non raro aegrotum in periculum discrimenque vocare potest. Quae quidem incommoda Italica methodo evitantur, curatio tamen, quod lobus cutaneus e brachio exemtus, ut aptius praeparetur, cicatrice induci debet, ipsum per anni spatium trahitur. Iam in adhibenda Germanica methodo, lobo quidem cutaneo e brachio conformato aeque ac in Italica utimur, statim tamen ut in Indica methodo absque ulla praeparatione, neque inducta, quae tardius confirmatur, cicatrice, in nasum mutilum inserendo. Sic, quae ipsi Taliacotio, in hisce rebus facile versatissimo fieri non posse videbatur sanatio, tutissima aeque ac celerrima, neque nudato cranio, neque relicta ulla frontis cicatrice, quae post adhibitam Indicam methodum faciem dehonestat, intra quatuor vel sex hebdomadas perficitur. Hanc methodum [1], in prioribus scilicet experimentis fundatam primum die XImo M. Septembris A. MDCCCXVIImi in puella viginti quatuor annos nata adhibuimus, cui ulcus herpeticum nasum exeserat. Successus omni spe superior evasit. Resarcitus enim nasus, quoad idoneam figuram, prius facta pericula longe post se reliquit, omnibusque conditionibus tam plane satisfecit, ut, qui eum conspiceret, non posset quin aptissima forma esse, eaque lepidae ceterum puellae faciei vel maxime accommodata, concederet.

Omnibus his operandi methodis [2], de quibus in historica operis nostri parte non nisi in universum et perfunctorie quidem agitur, usu satis investigatis, quum ab aliis quoque medicis adhiberentur, in votis esset, mutilorum nonnullos et Jüngkenio, medico instituti urbis nostrae clinico-chirurgici adiutori primario, et Eduardo Graefio fratrum iuniori Doctoribus, olim discipulis, viris longe dilectissimis tradere non dubitavimus. Quorum uterque, postquam aegroti rite praeparati erant, coram nonnullis medicis, nasum conformandi operationem tanta non solum prudentia, sed etiam dexteritate perfecit, ut nihil laetitiam nostram exsuperaret.

1) Cf. §. 146—154.

2) Variae indicationes, quae quum ex singulari cuiusque corporis habitu erui debeant, unam methodum alteri modo praeferri, modo postponi iubent, ideoque ad prosperos successus plurimum conferunt, in speciali uniuscuiusque methodi expositione accuratius recensentur. Cf. §. 17. 60. 110.

Iam optima in omne futurum tempus affulgente spe, tertiam huius artificiosae operationis periodum mittimus. Quam perfici omnino posse ipsi iam nunc sibi persusuma habent, qui minus aequi iudices ei adversabantur, licet enim oculis videant, licet digitorum tactu percipiant. Prisca medicorum experta, quod usu probata sunt, iam non dubitantur, et antiqua operandi methodus, omnibus numeris emendata, coniunctis quae usque adeo separata erant, denuo in lucem prodire audet. Fructuosa diversorum comparatio novum quoddam suppeditavit, idque vel maxime salutiferum, summum magis magisque perfectionis gradum aperta via consecuturum.

SECTIO III.

Methodus Indica.

§. 16.

Qualibet in arte hominum ingenium a facilioribus inventu iisque simplicioribus licet ad propositum minus accedentibus ad difficiliora, perfectioni iam propiora transiit. Simili ratione ars amissas faciei partes restituendi culta est, initio solas vicinas easque fere contiguas partes adhibendo, quod e methodo labia per operationem labii leporini restituendi, antiquissimis iam temporibus frequentata satis superque elucet [1]). Haec methodus, ad quam inveniendam, inferiori ipsa et artis et litterarum conditione, haud artificiosa simplicium per incisiones vulnerum curatio viam medicis aperuerat, quae cognita et omnibus usitata iam pridem fuerat, quum corporis partes ad curta quaelibet restituenda adhibere audendum videretur, scilicet a restauranda parte quam maxime remotas, — hoc certe vetustissimum medicorum coeptum facile ad talem nasi e frontis cute conformationem provocavit, qualis in patria ipsius, cuius nomine compellandam eam esse putavimus, iam inde a remotissimis temporibus usque ad nostram aetatem exercita, a Findlayio et Crusio medicis Bombayensibus [2]) olim descripta, a Carpuio [3]) Britanno nuper nobis tradita, et nostris temporibus multis rationibus emendata in Germania, ad perfectionem perducitur.

Quam certe omnium antiquissimam esse, non solum ex antea prolatis, sed etiam e natura ipsius, omnibusque quae de hoc argumento nobis in notitiam venerunt [4]), iam clare elucescit, praeterquam quod ceteras ex ea emanasse methodos, suo fundamento con-

1) Cf. Carpue, germ. ed. Michaelis. Praefatio p. VII.

2) Gentleman's Magazine, 1794, in Carpue germ. ed. Michaelis. p. 15.

3) Carpue, an account of two successful operations for restoring a lost nose cet. Lond. 1816.

4) Cf. §. 13.

constat. Proinde non solum temporis, sed artis etiam evolutionis ratione habita, aptum ab exponenda prae ceteris Indica Rhinoplastice initium videtur sumendum esse.

§. 17.

Methodus nasum e frontis cute conformandi, per se facillima, ceterisque simplicitate longe praestantior, evitatis etiam ligamentis, quae brachium ad caput deligant, tam levem aegrotanti molestiam affert, ut primo aspectu ceteris omnino praeferenda videatur. Hanc vero sententiam aliquis saltem usus iam ex animo nobis evellit, frequentior enim et exercitatio et observatio varias quae certis rationibus et huic methodo insunt difficultates clare demonstrant.

Priusquam ad ipsam operationis descriptionem nos accingimus, commodius hoc loco variae tum quae provocant ad exercendam Indicam methodum, tum quae vetant eam fieri conditiones nobis recensendae videntur. Adhiberi methodus Indica debet, ubicunque de Germanica et Italica qualibet ratione desistendum est [1]). Contra, ubi harum alterutra bonum eventum promittit [2]), Indica prorsus negligenda est, quod molestam non solum frontis cicatricem inter sequelas habet, sed quod periculo etiam non semper vacua est, scilicet magna cranii parte integumentis nudata. Ceterum locum habet, ubi frontis cutis valida, vitiis plane expers, perfecte sana, neque nimis tenuis, neque nimis crassa, et omnibus locis mobilis est. Ubi enim tenuior evadit, insitio eius, quod a reliqua cute separata, propria vi vitali non satis exstructa, per se vigere non potest, vel prorsus ad irritum cadit, vel si facta est tamen, quod rarissime contingit, novus nasus neque idoneam postea formam consequitur, et ipse inter respirationem in omne futurum mobilis manet. Verum si crassior, solidior, fere dura est, qualis occurrit nonnunquam, nasus, qui ex ea efformatur, deformis et rudis evadit. Si cutis ea pars, quae ad restituendum nasum adhibenda est, perpetuo malis impetiginosis, inflammationibus habitualibus rel. laborat, insitio utique male succedit, quod lobus cutaneus declinatus, sub ista conditione in inflammationem cadit erysipelaceam, qua sphacelus vel tota in superficie, vel certe in marginibus cooritur.

Ubi praegressis inflammationibus vel confirmata aliqua cicatrice, frontis cutis perfecte mobilis non est, neque ea de causa vegeta satis evadit, aeque ac in casu modo recensito, nunquam prosperum eventum sperare licet. Praeterea methodus Indica altiorem sibi frontem exposcit, tantum enim inter partem capitis capillis obtectam, et radicem nasi discrimen intercedat necesse est, quantum requiritur, ut septum quoque e glabra frontis parte conformari queat, neque opus sit partem cutis capillatam excidere. Nimis depressa fronte, methodus Indica prorsus negligenda est, quod ipsae alae nasi e capillata cutis parte conformari debeant. Denique statu quodam cutis universae vel maxime irri-

1) Cf. §. 60. 110.
2) Cf. l. m. l.

tativo (vulnerabilitate) vetatur. Quem certe statum eo dignoscere licet, quod cutis tenerrima, nitida, plurimis locis, praesertim in facie, pertenui eoque gratissimo vasculorum reticulo intertexta, ad repentinas et ruboris et palloris vicissitudines quam maxime prompta, super totum corpus expanditur, quod nervorum systema, variante utplurimum coenaesthesi, levioribus irritamentis facillime incitatur, quod leviter trita epidermis facilius detrahitur, quod lenes frictiones diu remanentem cutis ruborem excitant, quodque adipis quaevis genera, etiamsi mitissima, tum inflammationes erysipelaceas, tum pustularum lymphaticarum eruptiones efficiunt.

Quo statu cutis irritativo, aeque ac in cetera quavis modo recensita cutis mala conditione, cuiuslibet lobi cutanei recens excisi insitio nunquam succedit, nisi rite instituta longa eiusdem praeparatione, et tali nimirum, qualis in exercenda Italica methodo praescribitur, maxime etiam proficua, ubi praegressis morbis, e dyscrasia humorum coortis, pariter de successu dubitandum est [1]).

Verum si varia ista iam satis exposita cutis conditio minus adversatur, Indica methodus praeprimis indicata est, ubi ossa nasi penitus deficiunt. Contorto enim lobo cutaneo e fronte conformato, aliquis veluti torus in regione radicis nasi conficitur, crassus, et condensatus, qui ad sustinendum nasi arcum aptissimus videtur. Insito enim secundum ceteras operandi methodos simplici cutis strato, molestissimus radicis nasi collapsus eo facilius remanet, quo magis arcus nasi hoc loco omni fultura plane destitutus est.

§. 18.

Operationis expositio secundum Crusonem, Findlayium, Pennantium.

Findlayius et Cruso, medici olim Bombayenses, neque minus Pennantius, opere suo „View of Hindostan" inscripto, iam satis celeber, primi artem nasum conformandi in India solitam A. MDCCXCIV et MDCCXCVIII luculentius demonstraverunt, quorum descriptiones in unam collectas, absque ullo ornamento, licet multis rationibus mancas et mutilas exhibere non dubitamus [2]).

Administratis primum nonnullis caerimoniis, aeger supinus in solo collocatur, assumto manibus quod Araik dicitur et betela, iuxta corpus tranquille tenenda. Quo facto, sub ullo praetextu brachiis durante operatione uti vetatur, et ipse facile cohiberi potest, quum sibi persuasum sit, coeptum bono eventu plane destitutum iri, nisi exactissime ad praecepta attenderit. Quibus rite institutis, lamina tenuis cerea exacte naso mutilo adaptatur, ita ut congruus ex ea nasus efformetur. Complanata rursus in fronte ponitur, et

1) Cf. §. 60.

2) Findlay et Cruso. Vid. Gentleman Magazine. Lond. 1794. In Carpue germ. ed. Michaelis, p. 15. — Pennant, View of Hindostan. Vol. II. p. 237.

fines ipsius linea denotantur. Detracta lamina, chirurgus exactissime tantum cutis e fronte excidit, quantum intra denotatos fines continetur, neque eam inter oculos cutis partem, licet angustam, scalpro dissecat, quae postea circuitum sanguinis usque adeo sustentura est, donec lobus cutaneus cum oblatis partibus concreverit. Circumscripta hoc modo circum cutis in fronte partem incisione, per locum modo commemoratum non continuata, nasi mutilati pars adhuc residua cicatrice obducta resecatur, unde margines crudi fiunt, iuxta quos cutis fere contigue ita inciditur, ut incisio, alas nasi complexa, per labium superius continuetur. Quibus rite administratis, cutis a fronte abscissa semicontorta marginibus ipsius ita in incisuris collocatur, ut nasus iam ex ea conformatus, duplici firmamento sustineatur, supra enim cum partibus, quibus antea insederat cohaerens, ad latera, neque minus septo conformato in incisuris modo descriptis retinetur. Iam terrae Iaponicae nonnihil aqua humectatae linteo carpto illitae superimponitur, praeterea partium coitus adaptatis quinque vel sex penicillis adiuvatur, quibus post quatuor dies sublatis linamentum butyri quodam genere illitum adaptatur. Diebus circiter viginti quinque praeterlapsis, cutis particula, quae integra usque adhuc circuitum sanguinis et vitam rescissae partis per connexum cum fronte sustinuerat, resecatur, et ipsa, si necessarium est, aliquo modo diminuitur, quo aptiorem nasus postea formam consequatur. Prima operatione rite peracta, aeger per sex dies supinus cubare iubetur. Decimo die, pulvilli rotundi in nares infiguntur, ut satis apertae maneant.

§. 19.

Operatio a Carpuio exposita.

Ut illam operationis descriptionem, sic et hanc exhibere non dubitamus, quo clarius e comparatione cum norma postea pluribus explicanda, quatenus pristinas methodos vel reliquerimus, vel servaverimus elucescat. Minime tamen hic praetereundum videtur, descriptionem e duabus Carpuii morborum historiis [1]) erutam, multis rationibus, iisque gravioribus mancam omnino et dubiam evadere, quod soli ipsius scribendi generi concedendum videtur, quod iam alias [2]) nonnulli conquesti sunt.

Carpuius exactissime sic agit: Fronte magis minusve depressa, ita ut septum nasi postea restituendi e capillata cute, vel, totum vel ex parte saltem, conformandum esse videatur, capilli antea radicitus extrahuntur [3]). Quo facto, quantus lobus cutaneus exci-

[1]) Carpue, germ. ed. Michaelis. p. 55—58.

[2]) Cf. Prooemium nostrum ad l. m. l. p. VIII.

[3]) Carpuio, ut ipse refert, capillos hoc modo tam plane exstirpare, contigit ut neque durante curatione, neque postea unquam redirent. Quod, licet nonnunquam fieri possit, (et fit quidem, ubi exigua tantum septi pars, ut apud auctorem nostrum fuit, e capillata cutis parte exsecatur), perpetuum tamen non est, nam proprio saepius experientia edocti sumus, capillos post accuratissimam ipsam radicum extractionem, creberrimos tamen deintegro enatos esse.

dendus sit archetypo nasi cereo, complanato, in fronte posito exploratur. Deinde pigmento quodam rufo, (cuius partes constitutivae non traduntur) linea circum archetypum istum inscribitur, et partes faciei laterales, pariter atque locus, cui septum inserendum est, eodem modo ad faciendas incisuras denotantur.

Tum aegrotus, apte suffulto capite, supinus in mensa collocatur, ac chirurgus, primum dextro, deinde sinistro latere incisione facta, cutis faciei aeque ac librarum muscularium compressoris nasi, levatoris ac depressoris labii superioris alaeque nasi, tantum resecat, quantum sufficit ad commode excipiendos lobi cutanei e fronte excisi margines. Quibus peractis, labium superius, ubi septum nasi inserendum est, simpliciter inciditur. Tali modo faciei partes ad insitionem nasi aptius praeparantur, quo facto, statim frons in finibus ante denotatis fortiter inciditur, cutis circumcisa tam exacte separatur, ut solum in osse pericranium remaneat, atque sanguinis profluvium, si opus est, ipsa vasorum ligatura cohibetur [1]). Iam lobus excisus ita contorquetur, ut septum in incisura labii superioris collocari et collocatum per suturam nodosam retineri possit. Quibus rite administratis, cutis e fronte excisa tum sinistrae, tum dextrae faciei parti exactissime adaptatur, quo firmius et sutura nodosa et superimposito emplastro adhaesivo illigetur. Nares denique linteo carpto implentur, frontisque vulnus emplastro, quantum id fieri potest, contrahitur, aeger abluitur, ligamentum idoneum adaptatur, et lintea mutantur.

Operatione peracta, aegrotus lecto traditur, eiusque capiti panniculus mollior superimponitur, ut frigoris sensatio, quam, cute de fronte detracta, aegroti conqueri solent, caveatur. Quem ad finem cubiculum etiam calidius servandum est. Alimentum sit ad diem sextum usque avenae decoctum ac gelatinosa. Serius carnem comedere Carpuius aegroto permittit, omnem vero huius manducationem plane interdicit.

Quarto die ad suturas eximendas aggrediendum est, quo die earum duas Carpuius resecuit, ceteras die sexto removit.

Cutis plica per lobi reclinationem efformata, praeterlapsis post operationem quatuor mensibus, inciditur quidem, penitus tamen non resecatur, taque margines ipsius sutura nodosa committuntur. Et hactenus Carpuii descriptio, quam qua parte manca evaserit, et enarratione methodi a nobis adhibitae, et singulorum actuum accurata expositione, ut nil desideres, emendare conabimur.

---

§. 20.

Norma, ad quam Indica methodus dirigenda est.

Quas hic pro rite instituenda nasi e frontis cute conformatione regulas ponimus,

[1]) L. m. l. p. 37.

eae partim ex prioribus experimentis, quatenus haec ex antea prolatis erui possunt, partim e nostris observationibus haustae sunt, scilicet iam satis repetitis. In quibus, sicuti in ceteris etiam ponendis operandi rationibus, exacta expositio solummodo talis desiderari potest, qualis maiori omnino exemplorum numero confert. Peculiares enim quaelibet ac insolitae casus cuiusdam obvii conditiones, ut in omnibus operationum generibus, sic et hic, certam constitutam methodi regulam hoc vel illo modo quandoque commutari iubebunt.

Verum enimvero medicus, cui, quibus sub similibus rerum conditionibus natura operatur [1]), leges familiares fuerint, quique praestantiorem quandam methodum, veluti perpetuam sibi praescriptam regulam probe in animo tenuerit, is, si modo erectioris ingenii est, facile de universis ad singularia animum convertet, neque in optimo quoque, exceptionibus istis aptissimo, scitius inveniendo, unquam hallucinabitur [2]).

Actus primus. Praeparatio.

§. 21.

a) Praeparatio aegroti.

Opportuno secundum generalia, iam prius tradita praecepta [3]), electo tempore, necessaria et aegroti praeparatio, et instrumentorum operationi inservientium apparatus curae cordique nobis esse debent, ubi certe, exceptis peculiaribus quibusdam, postea curatius explicandis, eodem modo, quo in omni graviori operatione agendum est.

Sex vel octo dierum spatio, cutis in fronte tempore matutino, meridiano, vespertino, medicamentis spirituoso-aromaticis [4]) leniter perfricatur, quo magis vegeta evadat. Quae tamen frictiones nunquam usque adeo continuandae erunt, donec tensionem, dolores, imo ipsam inflammationem provocaverint.

Pridie operationem, parciorem vespere aegrotus cibum sumit eundemque levissimum. Post mane alvus ex infuso florum chamomillae admixto oleo lini iniicitur, partim ut posteriores alvi deiectiones caveantur, partim ut leniatur. Facta hac alvi ductione, tres saltem ante operationem horas, neque serius unquam, decem circiter aegroto Laudani liquidi Sydenhami guttae propinantur, quae dosis ratione incitabilitatis aegri cuiusque vel augeri, vel diminui potest [5]). Paullo ante operationem capilli, postquam retro pexi

1) Cf. Sect. I.

2) Cf. Normen für die Ablösung der Glieder, von Graefe. p. 95.

3) Cf. §. 10.

4) Mixtio quae maxime convenire videbatur, haec est:
Rp. Spiritus Menthae, Spirit Serpylli, Spirit. Anthos, Spirit. Lavendulae aa. unc. jj Bals. vit. Hoffm int. unc. sem. Liquor. ammon. anis. unc. un. MS. Spiritus ammoniato aethereus.

5) Cf. Graefe, Normen für die Ablösung gröfserer Gliedmaafsen .p. 50—95.

sunt, ita deligantur, ut rursus prolabi nequeant, partim ne sanguine et serius pure inquinentur, partim ne ipsum in frontis vulnus incidant molestiamque huic afferant.

§. 22.

b) Supellectilis apparatus.

Ut aegrotantis ad praeparationem, sic ad supellectilis operationi inservientis apparatum animus circumspecte attendendus est. Omnia, quae huc pertinent, in conclavi ad operationem electo, scilicet satis lucido, spatioso, ac temperato, discretis partibus accuratissime in promptu habeantur necesse est.

§. 23.

aa) Praeprimis paranda sunt, quibus partes in facie denotentur.

In quorum numero 1) nonnihil argillae est, subtilis, depuratae, vel cera mollis ad conformandum nasi archetypum; 2) chartae nonnihil solidioris cum forfice minuta ad excidendam lobi cutanei mensuram; 3) circinus; 4) vernix [1]), quae cuti inscripta neque aqua neque sanguine abluitur; 5) penicilli duo subtiliores; 6) calamus cum graphite.

§. 24.

bb) Ad alteram apparatus partem omnia ad dissecandum ferramenta pertinent, e quibus praecipue ad manus esse debent:

1) Scalpelli duo, quorum convexae acies ad varias incisionum per cutem flexiones et anfractus aptissimae videntur. Laminae et formam et magnitudinem figura 16. in Tab. V. obvia ad amussim repraesentat. 2) Forcipes duae acutissime denticulatae, quae comprehensas partes tuto fortiterque retineant, ne inter distentionem ac retentionem cutis lobi excidendi forma corrumpatur, neque dolores supervacui iteratis partium comprehensionibus excitentur. 3) Forfex ossibus frangendis, quae, licet rarius omnino necessaria videatur, praesto tamen esse debet, quod fieri potest nonnunquam, ut septi narium pars quaedam prominens amovenda sit, quae alio quolibet ferramento vix aptius frangi potest.

§. 25.

cc) Ad sanguinem sistendum praesto sint:

1) Hamuli et forcipes [2]) nonnullae ligandis vasis, cum laqueis, quibus arteriae sangui-

1) Convenientissima post nonnulla hac de re instituta experimenta mixtio haec videbatur:
Rp. Vernic. succin. drachm. quat. Fuligin. opt. drachm. un. M.

2) Descripsimus nuper in libello, cui titulus est: Jahresbericht über das klinisch-chirurgisch-augenärztliche Institut der Universität zu Berlin, von C. F. Graefe. Berlin, 1816. p. 4.

nem rapidius emittentes excipiantur. 2) Rarius fili per vicinas arteriae partes circumductione opus est, tutius tamen est, et acus et fila quae huc pertinent ad manus habere. 3) Spongiae nonnullae sollicite mundificatae, cum catinis frigida, uno tepida repletis. 4) Agarici non multum praeparati mollioris, quo sanguis de frontis vulnere e minutis vasis prostillans commodissime sistitur. Ceterorum, quae ad cohibendum sanguinis profluvium pertinent, remediorum hanc inter operationem usus non est.

§. 26.

dd) Ad committendas inter se partes:

1) Decem ad duodecim filis opus est, linteis, albis, semel complicitis, satis longis, et cera alba obductis, quorum quodque in acum minutiorem, curvam, ancipitem, neque nimis latam utrinque coniectum sit, cuius et magnitudo et curvatura in Tab. V. Fig. 11. exacte repraesentatur.

2) Totidem bacillis ligatoriis.

Quae instrumenta, scilicet usitata nobis omni in sutura, qua partes exactissime inter se committi, maxime interest, vel simpliciora sunt, vel subtiliori cochlea instructa. Illis ab initio, his postea utebamur. Simpliciora, quamvis minus idonea sint, non tamen praetereunda videntur, quod quum in compositis cochleae non nisi a callido artifice confici possint, peritiori quovis ab opifice facili negotio conficiuntur.

Bacillum ligatorium simplex, quod aptissime de argento aurato conficitur, in Tab. V. Fig. 2. ad amussim delineatum est. Extremae fili cuiusque, quo vulnerum orae comprehensae sunt partes, in foramen noduli (*a*) coniectae, et quantum satis est adstrictae, in furculam (*b*) ita implicandae sunt, ut in angustiorem incisurae partem coactae retineantur. Quo tutius id fiat, fila circum cornu alterum (*b*) iterum atque iterum volvi possunt, quod in figura videre est. Quo fortius fila adstringuntur, eo magis laqueus (*a*) coarctatur, eoque firmius vulneris orae inter se commissae retinentur, quod in delineata effigie (Tab. V. Fig. 12.) clare sub oculorum aspectum cadit. Saepius vero adhibito in connectendis partibus, quibus laqueus digitis adaptari vix poterat, hoc simpliciori instrumento, fila, si opus videbatur ut laquei coarctarentur, non nisi maxima partium tensione iterum atque iterum adstringi posse, quod cornu (Fig. 2. 6.) circumvoluta et in fissuram coacta absque integrae partis motu vix explicari poterant, magis magisque edocti sumus. Bacilla itaque ligatoria emendare conati, cochleam subtilem adiecimus, qua instrumentum aptius omnino visum et usu satis comprobatum, solum a nobis adhibetur.

Quo, quamvis magis complicita ipsa eius structura videatur, simplicius tamen et commodius cum fila adstringi, et relaxari possunt, tum etiam partes profundius reconditae tutissime et accuratissime quidem inter se connectuntur. Nodulus instrumenti in Tab. V. Fig. 1. exacte delineati aeque ac simplicioris istius perforatus est. Media pars

terebrata fistulam repraesentat, quae embolum in ipsam coniectum undique circumcludit, trabeculis adaptatis transversis ita confirmatum, ut neque ulterius penetrare, neque extrahi et solam circum axem ipsius converti possit, quod ad partem *b* punctis inscriptis ad effigiem repraesentatur, ubi et emboli formam et trabecularum situm optime cognoscere licet. — Embolus in fistula, quo facilius rotari possit, exactissime laevigatus, sursum, iam inde ab extrema fistulae parte, qua tamquam vagina circumdatus est, in cochleam excurrit, quae capulo exiguo terminatur. Ad locum *c* fistulam breviorem conspicere est, quae interne cochleae modo commemoratae ita respondet, ut et sursum et deorsum rotando moveri possit. Magnitudinem eius e figura intelligere licet. Externe in furculam bicornem ad latus reflexam, non tamen arcte appressam, qualis in instrumento modo descripto (Fig. 2. 6.) est, exit. Usum facile intelliges, si modo illius instrumenti usum in animum revocaveris. - Fili enim cuiusque quo sutura confecta est, utraque pars extrema in foramen noduli *a* coniecta, atque in unam comprehensa in fissuram implicatur, vel si opus est, ut fortius adstringatur, furculae fistulaeque e solido confectis circumvoluta, tutius etiam retinetur. Quo facto, inferior bacilli pars ad regionem ferme *d* posita alterius manus duobus digitis, v. c. annulari et medio, et furcula ceterorum duobus, v. c. pollice et indice, ut neutra ad latus moveri possit, firmiter comprehensa retinetur. Comprehensis, cochlea ad capulum (*d*) altera manu correpta rotatur. Rotationibus, sicut res postulat reiteratis, fit, ut quum embolus (*b*) axi mobilis sit, inferior vero instrumenti pars retineatur, et fistula cochleata, quin ad latera moveri possit, digitis impositis impediatur, haec nonnisi sursum deorsumque moveatur, itaque ad partem extremam (*d*) vel propius accedat, vel procul magis magisque ab ea recedat, prout cochlea vel dextrorsum vel sinistrorsum rotatur. Quo propius vero furcula ad capulum instrumenti super cochleam rotata promovetur, eo magis a nodulo (*a*) elongata, filum sibi implicatum adstringit, suturam itaque firmiorem efficit. Contra, ubi furcula a capulo elongatur, filum tanto relaxatur, quanto fistula cum adaptata furcula deorsum profecta, propius ad nodulum instrumenti accedit. Hoc itaque instrumento suturae, sicut res postulat, modo adstringi modo remitti possunt quovis tempore, nec ideo vulneris orae reflectantur, ipsaeque crudae partes manibus iterum atque iterum contrectando divellantur necesse est. Quum enim nodulus, infima instrumenti parte duobus digitis comprehensa, immobilis retinetur, cochleae rotationes absque omni alio quodam motu fila tam exacte modo adstringunt modo remittunt, ut nihil amplius exoptandum esse videatur. Maiorem etiam haec instrumenta utilitatem afferunt, ubi partes quae digitos omnino non admittunt, connecti debent, quod ex Italica et Germanica methodo postea accuratius exponendis clare intelligetur.

3) Decem ad duodecim veluti granis ex ebore vel buxo confectis, quae singulis suturae ligaturis subiiciantur, quorum tum formam tum magnitudinem delineatae in

Tab. V.

Tab. V. Fig. 9. 10. exacte repraesentant. Adhibenda sunt omni in sutura, qua cutis orae, quum minus sibi invicem respondeant, altera super alteram exporriguntur. Altera facies plana est, altera non multum convexa crenam refert, quae filum excipiat, ne elabatur. Quorum granorum duo, quae ad septi suturam adhibentur, magis convexa esse debent, cetera mediocri convexitate sunt quod ex tabula (Fig. 9. 10.) videre est. 4) Viginti emplastri glutinantis melioris [1]) taeniae non nimis latae palmares et sesquipalmares, quae partim ad firmandam tuendamque suturam, partim ad adaptanda bacilla ligatoria, ubi eorum usus est, partim ad linamenta arctius retinenda adhibentur.

§. 27.

ee) Ad deligandum pertinent:

1) Aliquot mappae, quibus collum aegroti inter operationem contegatur et postea detergeatur. 2) Octo ad decem penicilli maiores, tum frontis vulneri, tum novo naso imponendi. Quibus frontis vulnus obligetur, quique inferne ad nares transverse applicentur, ii unguento rosato leviter inducti esse debent, ceteri vero, qui efformato naso imponantur, nullo medicamine illinantur. 3) Turundae duae non nimis crassae, unguento rosato inductae, et filo remissius circumvolutae, quibus peracta operatione nares compleantur, et nasus apte sustineatur. Quae si nec unguento illitae, neque filo circumvolutae sunt, fieri potest, ut agglutinatis earum fibrillis postea extrahendi maiorem difficultatem exhibeant. 4) Forfex fortior acuta, qua partes linamenti, filorum, penicillorum, taeniarum emplastri glutinantis rel. supervacuae resecentur. 5) Bombyx aromaticus [2]) quo et frons et nasus efformatus contegatur.

§. 28.

ff) Ad reficiendum inter operationem aegrotum, naphthae nonnihil et sacchari aliquot frustula cum cochleari minori ad manus esse debent, neque negligendum est, frigidae haustum, partim ad bibendum, partim ad fovendum os paratum habere, quo aegrotus inter hanc operationem maxime recreatur.

§. 29.

c) Ministrorum institutio

etiam ad praeparationes pertinet, quae absente aegroto fieri debent, ne animus eius

[1]) Optima quae huc pertinet formula in libro est: Repertorium augenärztlicher Heilformeln, von C. F. Graefe. p. 138.

[2]) Bombyx aromaticus, qui nobis in usu est, ad hunc fere modum paratur: Linteolum conveniente magnitudine, liquore hoc:
Rp. Camphorae drachm vj., Spiritus vini rectificatissimi. unc. jj., Balsami Peruviani, Olei

perturbetur. Opus sunt quinque vel sex, iique exercitatiores. Quorum primus, qui post sellam constitit, manibus utrinque ad genas et mandibulam applicatis, caput aegroti pectori appressum immobile retinet. Ceterorum duo ad latera positi hoc vel illud inter operationem subministrando, praecipue vero et acus et fila inducta, usque donec accuratius adaptentur, inspiciendo auxiliantur. Quartus nil nisi supellectilem ad perficiendam operationem subministrandam curat, quam bene eum nosse debere per se patet. Quintus omnia quae ad aegroti cum commodum tum recreationem pertinent, quam accuratissime observat, analeptica, si qua necesse sunt propinat, cruorem de ore aegroti deterget, ipsumque adhortationibus erigit, ne animo desperet.

Actus alter.

Demensio, Delineatio.

§. 30.

Quae a priorum fere omnibus perfunctorie tractata a nonnullis plane negliguntur. Quorum facile uberrimus auctor Carpuius: „Archetypum" ait „cereum conformari debere, quo clarius lobi cutanei amplitudo intelligi possit, complanatum in fronte ponendum, postea linea colorata exacte circumscribendum, et partes faciei denotandas esse, quae incidi debeant." Cera autem tutius vix adhiberi potest, siquidem inter complanandum varie figurata, quamcunque formam, eamque facile ineptissimam nanciscitur. Ceterum manca ista et mutila praecepta, quae verbotenus hic afferre non dubitavimus, tantae incuriae et negligentiae speciem prae se ferunt, ut, quatenus imperfecta videantur, pluribus hic demonstrare, supervacaneum videri possit. Prioribus certe casibus plane imperfectam esse hanc delineandi rationem, tam clare intelleximus, ut novam quandam, eamque aptiorem invenire, maxime nobis necessarium videretur. Propriam igitur metiendi delineandique rationem, quae plurimum semper ad aptiorem nasi conformationem contribuit, accuratissime tradere non dubitamus.

§. 31.

Primum deficientis nasi solidum ex argilla subtiliori, vel si haec non est, e cera alba archetypum parandum est, quod ne male figuratum evadat, necessarium est, nasi ambitus rationem cognoscere, quae licet suis legibus constet, variis tamen artis et

de Cedro, Olei Sassafras singulorum drachm. sem., Mixturae oleoso - balsamicae drachm. jj., Liquoris Ammonii caustici unc. sem. M.
succidum, super sagenam bombycinam quae adhibetur expansa, arcte convoluta in vase bene clauso per viginti quatuor horas servetur, post holoserico intergerino interpositum, altera facie panno tenuissimo, pellucido contegatur.

picturae et statuariae ab auctoribus varie definita est. Albertus Dürer [1]) nasum tricesima totius corporis parte, Lairessius [2]) faciei, rectae scilicet lineae ab imo mento usque ad summam frontem, ubi capilli incipiunt productae triente longum esse posuit. Gerardus Audran [3]) qui artificiosas antiquitatis statuas emensus est, capite ab imo mento usque ad verticem in quatuor partes diviso, nasum, initio ipsius exactissime inter utrumque supercilium constituto, ubi facies bene conformata erat, semper istiusmodi quadrantem in longum habere reperit. Uncialem nasi longitudinem *minutam* [4]) dixit, qua mensura constituta, ceteram etiam ambitus rationem examinavit. Quum vero pulchrorum virorum feminarumque nasi, quoad singularum partium magntiudines magnopere inter se differant, iam Audrani demensiones utriusque sexus in capitibus factas exactius recensere, siquidem fructuosissimae inde comparationes emergunt, haud supervacaneum fore iudicamus.

In Apollinis Pythii statua [5]) olim in horto Vaticano posita, spatium utrique nasi alae interiectum in latitudinem septem totarum et duarum trientium minutarum patet. Pars a medio alae margine usque ad medium nasi apicem producta utrinque sex minutas cum dimidia, nares duas totas et duas trientes minutas longae inventae sunt. Media alae marginis curvatura quae inter labium superius et nasi apicem intercedit, ducta subter nasum ab apice usque ad alae finem recta linea, sesquiminuta demensa est.

In praestantissima Veneris Aphrodites [6]) statua nasum ubi ab altera ala usque ad alteram latissime patet, sex minutas et dimidiam latum, spatium quod medio alae margini et medio nasi apici interiectum est, utrinque minutas sex, nares duas minutas totas et duas trientes longas esse, curvaturam in demenso Apolline iam commemoratam minutarum trium quadrantium spatium conficere inventum est. Quibus expositis, pulchros feminarum nasos apte conformatis virorum nasis, aeque longis naribus, nonnihil angustiores, minus productos, subtiliores omnino, neque adeo lineamentis distinctos esse, iam facile intelligitur.

Quae varia ambitus ratio, quamvis ad absolutissimas tantum antiquitatis imagines pertineat, conficiendo tamen nasi archetypo in universum legem ac regulam constituit, quae vero tantum abest, ut, perinde ac summam ad perfectionem accedit, semper sollicite observari debeat, ut potius in hominibus aetatis, sexus, variae nationum conformationis, peculiaris lineamentorum consensus quam accuratissime ratione habita, nasus pecu-

1) Cf. eiusdem: Vier Bücher von menschlicher Proportion. Fol. 6. rel.

2) Lairesse Schule der Zeichenkunst. p. 15.

3) Les Proportions du corps humain, rel. p. 27.

4) L. m. l. Avertissement.

5) L. m. l. p. 27.

6) L. m. l. p. 28.

liari cuique faciei naturae accommodandus sit, regulae itaque formis illarum statuarum subiacentes utique negligendae videantur. Non enim fieri debet, ut in facie obesa atque inflata, cuius lineamenta cum naso parvo, simo, obtuso consentire videntur, hic ad Apollinis archetypum restituatur, nisi ridiculum aeque ac molestissimum dehonestamentum oriri volueris. Oportet itaque tale nasi archetypum fieri, quale cum peculiari faciei natura et apte consentiat, et vicinis praesertim partibus congruum videatur, neque universae capitis conformationi aliquid alieni inferat. Negligendum quoque non est, servandae nasi mutilati partis quam accuratissime rationem habere. Quae si quis exacte diiudicare nequit, nec ipse fingendi peritus est, is nasi archetypum, ad cuius accuratam conformationem maximi interest, ab aliquo callidiori sculptore confici iubeat. Ceterum latitudinem non solum, longitudinem, arcus curvaturam sollicite respiciendam esse, sed artificem etiam singulas tum convexitates tum concavitates curatissime effingere debere, neque minus archetypi superficiem, quae ad faciem spectat, tam exacte huius formae accommodandam esse, ut margines ubique respondeant, narium vero et septi quum curvaturas tum longitudinem latitudinemque utique denotandas esse, per se patet. Fig. 5. in Tab. V. obvia tale archetypum, quale in homine mutilato, qui ipsa nasi ossa amiserat, necessarium visum est, ad amussim repraesentat.

§. 32.

Quodsi apte conformatum cumque ceteris oris lineamentis consentire visum est, iam in faciei loco qui ipsi convenit collocatum et retentum a ministro, penicillo minori vernice colorata imbuto et superne et inferne et ad latera exactissime circumscribendum est. Ita lineam et subtilissime et accuratissime producendo, integra quam postea nasus occupat basis denotatur. Quodsi minus accurate peractum est, nasi figura certo hac vel illa ratione manca et imperfecta evadit. Et, si ista circum archetypum linea, neglecto eius margine, non satis subtiliter trahitur, fieri potest, ut nasus nimis latus fiat, quod addita in omnibus partibus spatiola, etsi per se valde exigua videantur, in universum tamen plurimum ad augendum volumen contribuunt. In effigie (Tab. V. Fig. 4.) minutiori basin secundum archetypum modo commemoratum punctis subtilibus denotatam conspicere est, minutiorem quidem et ipsam, exactissime tamen inter litteras *l. m. n.* sic repraesentatam, ut secundum archetypum (Tab. V. Fig. 5.) in facie nuper producta est.

§. 33.

Basi hoc modo delineata, excisurae et laterales et transversa quod in praeceptis prioribus fere neglectum est, commodissime, sicut usus ostendit, sic denotantur: Laterales superne ad finem nasi mutilati inchoantur, et exactissime quidem, ubi semicontortus postea lobus cutaneus cum partibus lateralibus apte committendus videbitur. Praeterea,

(quod praecipue ad Indicam methodum pertinet), ne alterum cum altero ad superiorem partem coniungatur, maxime cavendum est. Hoc enim non modo inutile est, siquidem deflexus et semicontortus lobus cutaneus, quod externa ipsius, epidermide obducta facies, hic ad posteriora spectat, cum vulnerata nasi radice nullo modo consolidari potest, — sed incommodum etiam affert, minime negligendum. Nam fieri non potest, ut coniunctis inter se excisuris, exigua cutis pars, quae integra mansit, dissectis quae ex inferiori parte in ipsam transeunt vasculis, satis omnino nutriatur, quum sanguine fere destituta sit. Utriusque excisurae lateralis tum initium, tum spatium utrique interpositum in effigie Tab. V. Fig. 4. ad litteras *o*, *q* exacte delineatum est. Quo exactius vero utraque dirigi possit, linea inde a loco modo commemorato, v. c. a parte *o*, iuxta lineam qua basis notata est, et ita quidem ut huic fere contigua sit, uno tenore usque eo, ubi alarum nasi finis esse debet, igitur ad partem usque *q* producitur. Quo facto, altera iuxta primam linea ita ducitur, ut superne ad punctum *o*, illius fine, initium fiat, ipsa vero inter continuandum magis magisque ab illa remota habeatur, ita ut ima tandem in parte spatium sesquilineare (mensurae Parisiensis) inter utramque intercedat, ubi ductu transverso coniungendae sunt. Sic in utraque parte lineas modo commemoratas producendo excisurae laterales delineantur, quales figura 4. in Tab. V. obvia, diminuta quidem, servata tamen ambitus ratione, ad litteras *o*, *p*, *q*, *r* exactissime repraesentat. Deinceps intra inferiorem transversam basis delineatae partem, huic fere contigua, linea aeque transversa facienda est, quae exactissime medium teneat necesse est. Cuius longitudo commodissime secundum archetypum diiudicatur, adhibito circino, quo septum, ubi latissimum est. comprehendatur. Super quam, spatio sesquilineari (mensurae Parisiensis) interposito, altera ita ducitur, ut ductus transversi utramque ad latera coniungant. Cuius excisurae transversae figuram clare ex effigie Tab. V. (Fig. 4.) videre est.

§. 34.

Excisuris accurate delineatis lobus cutis e fronte exsecandus designatur. Ubi archetypi aeque ac in delineanda basi ratio habenda est. Quo accuratius vero hic designari possit, medio nasi in archetypo quod in Tab. V. (Fig. 5.) a latere conspectum exhibetur, quatuor omnino partes accipere convenit, primam ad archetypi apicem (*a*), alteram ad medium nasi dorsum (*b*), tertiam paullo infra nasi apicem, ubi nares incipiunt (*c*), quartam, ubi septi finis est (*d*). Pari modo marginum archetypi partes distinguantur necesse est, quorum hic unus solummodo in oculos cadit, siquidem archetypum a latere conspicitur. Punctum *a*, in extremo archetypi dorso positum, quod per se patet, servatur, alterum vero in margine ad finem alae nasi (*f*) et tertium, his intermedium ad partem *e* ponitur, quod e figura videre est. Eodem modo margo oppositus litteris *a*, *g*, *h* notatur. Sic positis octo punctis, quaevis archetypi et longitudo et lati-

tudo commodissime et accuratissime quidem in superficiem aliquam transferri potest, quod e figura (Tab. V. Fig. 8.) clare elucescit, quae secundum nasi archetypum hoc modo delineatur: Linea recta in schedula ducitur (Fig. 8. *a. d.*) cuius punctum *a* notandum est. Quo facto, adhibito chartae segmento angustiori, archetypi (Fig. 5.) spatium quod inter litteras *a* et *b* est, neque minus spatia litteris *b* et *c*, *c* et *d* interposita exactissime in schedulae lineam transferuntur. Translatis, iam integra nasi artificialis una cum septo longitudo, quae in effigie (Fig. 8.) iisdem litteris *a*, *b*, *c*, *d* indicatur, inventa est. Explorata longitudine, varia latitudinis ratio, primum unum solummodo latus, sive dimidiam archetypi partem transferendo constituenda est. Quem ad finem archetypi tum longitudo punctis *a* et *c* interposita, tum latitudo quae punctis *b*, *e* notatur, adhibitis duobus chartae segmentis angustioribus exploranda est. Quae in schedula posita ita diriguntur, ut alterum a puncto *a* usque ad punctum *c*, alterum a puncto *b* usque ad punctum e pertineat. Sic in unum coëuntibus segmentorum extremis partibus, angulus fit, cuius apex ad partem *e* positus puncto in schedula notandus est. Simili ratione punctum *f*, quod ad indicandam latitudinem aeque contribuit, invenitur. Explorata enim in archetypo tum longitudine partis lateralis quae litteris *e*, *f* notata est, tum latitudine punctis *c*, *f* interposita, chartae segmenta in schedula ponuntur, alterum a puncto *e* ad regionem *f*, alterum a puncto *c* eandem ad regionem directum, quomodo punctum *f* invenitur, exactissime et ipsum designandum. Eadem prorsus ratione, qua variam latitudinis rationem in primo latere commodissime inveniri posse modo commemoratum est, alterius quoque lateris puncta *g* et *h* (Fig. 8.) inveniuntur, quae in archetypo (Fig. 5.) delineato, quum haec pars aversa sit, sub aspectum non cadunt. Punctis omnibus quibus opus est (*a*, *c*, *f*, *g*, *h*) exacte designatis, iam linea, qua inter se coniungantur producenda est, ita facienda, ut archetypi figurae omnibus in partibus accuratissime ratio habeatur. Varia septi latitudo circino transferenda est, quod haec archetypi pars sicut arcus nasi convexa non est, quovis vero in latere spatium semilineare addatur necesse est, ne exigua cutis pars, quod fieri solet, durante curatione nimis subsidere possit. Partium *a*, *h* et *a*, *f*, neque minus septi et longitudine et latitudine inventa, lineas *h*, *i* et *f*, *k* (Fig. 8.) facili negotio fieri posse, iam clare intelligitur. Cavendum vero est, ne partes ad *i* et *k* litteras positae nimis sinuentur, quod fieri potest, ut nares durante curatione nimiam apicis nasi partem occupent. Ceterum quibus in partibus chartae segmentis mensuram faciendam esse praeceptum est, in iis circinus omnino adhiberi non debet, qui rectas tantum ideoque breviores lineas indicat, multo minorem itaque superficiem efficit, quam chartae segmentum, quod omni cum curvaturae tum convexitati facillime accommodari potest. Mensura hoc modo inventa et accurate delineata, schedula excidenda est. Excisa parte aversa, quae notis haud insignita est, in archetypo ponitur, ut accurate exploretur, an fortasse aliqua ex parte erratum, et septum apte conformatum sit. Ita commodissime

errores, qui in producendis lineis commissi sunt, una vel altera in parte corriguntur. — Mensuram vero sic invenire, ut schedula solummodo in archetypo ponatur, minus omnino confert, quod haec singulis curvaturis difficilius accommodatur, unde dimensiones falsas fieri debere, clare intelligi potest. Ipsa etiam chartae rigiditas causa est, cur mensura, ea qua diximus ratione inventa, si in archetypo posita est, semper nonnihil amplior videtur, quod certe negligendum est, si modo magnitudinis ut videtur nimiae omnibus in partibus una eademque ratio est.

§. 35.

Schedula, qua lobus cutis delineandus est, excisa in fronte mutilati ponitur, altera extremitate (Fig. 8. *a*) ad inferiora, altera (*d*) ad superiora conversa, facie, quae notis haud insignita est, ad cutem spectante, unde fit, ut tota mensurae delineatio semper sub aspectum cadat, pars vero, quae in archetypo posita dextra erat, iam sinistra, quae sinistra, iam dextra sit, quod mirum videri non debet, est enim post reflexionem lobi cutanei et contorsionem, quivis margo suae excisurae adaptandus, quae antea metiendo ad hunc ipsum finem explorata est et delineata. Nam si v. c. margo *a f* (Fig. 4.) qui in archetypo excisurae laterali *q r* respondet, in fronte collocatus non ita positus est, ut in altero latere sit, fieri omnino non potest, ut contorto reflexoque lobo cutaneo, pars *a f* excisurae laterali *q r* adaptetur. — Quod quidem praeceptum facilius negligi potest, ubi alterum curti nasi latus alteri plane aequale evadit, quum ambo trianguli latera perfecte inter se aequalia, excisuris lateralibus pariter inter se aequalibus nulla adhibita distinctione perfecte respondeant. Attamen ubi curti nasi latera inter se diversa sunt, neque praeceptum istuc observatum est, ibi fieri non potest, ut latera cum excisuris coniungantur, quae neque longitudine, neque altitudine, neque varia curvaturae ratione sibi ipsa respondent. Denique schedula ita in fronte collocanda est, ut ipsius quidem extremitas inferior (*a*) spatium attingat superciliis interpositum, non tamen ad nasi radicem usque pertineat, ne superciliorum regiones nimis laedantur. Quibus exacte administratis, schedula, adhibito penicillo minori vernice colorata imbuto, prope marginem accuratissime circumscribitur. Deinde spatio quod inter lobum cutaneum et basin delineatam intercedit, in tres partes aequales distincto, lineae lobi designati laterales (*h*, *a* et *f*, *a*) ad duas huius spatii partes ita producuntur, ut cutis ipsis interiecta nullibi quinque (mensurae Parisiensis) lineis angustior evadat. Quantum his lineis lateralibus spatium interiectum sit, quamque longae hae esse debeant, punctis in lineas (*t*, *x* et *u*, *y*) dispositis designatum est. Quodsi cutis ista pars quinque lineis angustior evasit, saepius fit, ut ad nutriendum lobum cutis declinatum prorsus inepta sit. Ipse vero lobus cutaneus, quando deflectitur, punctis *f* et *h* ad excisurae utriusque extremitates (*p* et *r*) usque non pertinet

nisi infima cutis pars ad duas spatii istius partes (*a*, *l*) incisa est, quod inter torquendum lobum cutaneum eam ad partes *t x* et *u y* contrahi debere facile elucescit.

§. 36.

Incisionibus exacte denotatis, ad designanda suturae puncta progrediendum est. Quod certe pariter necessarium videtur, atque illae incisionum delineationes, nisi ipsam inter operationem supervacua eaque maxime dolorifica pericula facere, neque acu iam per carnem transmissa partes sibi oppositas quam accuratissime inter se committere volueris. Quem ad finem puncta iuxta baseos lineam, itaque in faciei cute posita primum denotantur, supremum utrumque, spatio sesquilineari interiecto iuxta et extra excisurae utriusque lateralis extremitatem designando, quod in effigie (Tab. V. Fig. 4.) ad litteras *o* et *q* asteriscis notatum videre est. Ceterorum ambo iuxta inferiorem excisurae utriusque extremitatem aeque interiecto spatio sesquilineari, ubi alarum nasi fines sunt ex adverso notantur, sicut in regionibus ad litteras *p* et *r* positis, asteriscis infimis designata sunt. Punctis iuxta basin et supremis et infimis denotatis, cetera facile inveniri possunt, si modo inter utraque et suprema et infima tot puncta intermedia designantur, (scilicet pari inter quodcunque et basin delineatam spatio interposito) quot suturae nodi esse debent, tres aut ubi latissime, quatuor lineas inter se remoti. Quo praecepto observato, in exemplo quod extrema hac sectione enarrabitur, quovis nasi in latere inter puncta primum designata, duo etiam notanda fuerunt, ita ut quatuor omnino uno in latere asterisci loca quibus acus per carnem transmittenda esset, indicarent, quod ex effigie (Tab. V. Fig. 4.) videre est. Punctis lateralibus accurate designatis, iam puncta, quae ad septi suturam necessaria sunt, notari debent. Quem ad finem infra utramque excisurae transversae (*s*) extremitatem spatio sesquilineari interiecto, punctum, quod e figura 4. clare intelligi potest, asterisco notatur. Iam omnibus ad totum baseos ambitum punctis notatis, schedula aliquot emplastri glutinantis globulis nasi archetypo argillaceo agglutinatur, et ipsum nasi archetypum intra baseos delineatae fines naso mutilato adaptatur. Quo facto, singula in schedula puncta facile et exactissime quidem ita notari possunt, ut spatio sesquilineari inter quodcunque et schedulae marginem interiecto, punctis iuxta basin antea designatis accuratissime opponantur. Quibus exacte dispositis, detracta schedula, asteriscis quos Tab. V. Fig. 8. exhibet acu fortiori perforatis, iterum eodemque modo, quo in delineando cutis lobi (§. 35.) factum est, intra delineatos lobi fines in fronte collocatur, foramina vernice colorata imbuuntur, quomodo puncta iusto ordine disposita exactissime in frontem transferre licet. Translata minori mensura asteriscis in cutis lobo designata Tab. V. Fig. 4. exhibet.

A c t u s t e r t i u s.

C u r t i n a s i v u l n e r a t i o e t f i l o r u m i m m i s s i o.

§. 37.

Cutis epidermidem detrahendo ad consolidationem apta redditur. Quam operationis partem et antiquissimi et recentiores auctores nimia fere negligentia et incuria pertractavere, quod e descriptionibus [1]) videre est, quas generatim tradere non dubitavimus. Nostra quae hunc ad actum pertinent praecepta, scilicet experimentis iam satis illustrata haec sunt:

Si curtus nasus hinc inde angulosis partibus prominet, ita prius complanandus est, ut alterum latus alteri perfecte respondeat. Prominente v. c. alterius lateris nasi ala, et opposita prorsus deficiente, melius est tantum ab illa resecari, quanto opus videtur, ut utrumque latus apte conformetur. Quod quidem praeceptum in dubium vocari potest, siquidem risiduis partibus hac in operatione quantum fieri potest, parcendum videtur, quod servatis quam plurimis partibus similiorem pristinae figurae nasum fieri primo adspectu accipiendum est, nullae tamen residuae partes servandae sunt, nisi si utroque in latere prorsus aequales evadunt. Quodsi minus contingit, residuae uno tantum in latere partes neque meliorem faciunt nasi figuram, et ipsae ad depravandam speciem conferunt, quod alterum nasi latus, ubi pristinae partes servatae sunt, diversam semper ab altero speciem prae se fert, quod totum e transposita cute confectum est. Ubi non multae eaeque minores particulae prominent, ibi in delineandis excisuris lateralibus generalia prius constituta praecepta [2]) ita observanda sunt, ut exempli ratione habita, iam priusquam partes complanantur, et partium supervacuarum resectio et cutis vulneratio uno eodemque actu perficiantur. Ubi vero obstantibus hic illic salebris exacta partium delineatio fieri vix potest, ibi curtus nasus prius complanari debet et postea vulnerum facta consolidatione, aptisque confirmatis cicatricibus, et partes delineantur, et reliqua operatio perficitur.

Ipsa curti nasi vulnera praeceptis exactissime observatis quam minima fieri debent, siquidem cutis lobus solo ipsius margine solidescat, ipsa vero eius facies, quod cavum subter se formare debet, procul a naso mutilato habeatur necesse est. Quaelibet itaque extra fines denotatos (Tab. V. Fig. 4. *o*, *p*, *q*, *r*, *s*) curti nasi vulneratio et supervacua est et inutilis. Commoda nunquam, incommoda, quod aucta partium irritatione, cutem adnexam cum oblatis partibus consolidari prohibet, semper plurima affert. Resecta ita-

[1]) Cf. §. 18. 19.
[2]) Cf. §. 33.

que cute, delineatis finibus circumscripta, maximum quod omnino fieri debet vulnus impositum est.

Nonnunquam cutis partes excavando exsecari quod moram affert, haud opus est, si modo partes prominentes accuratius resecantur, quod fieri potest, si maiores utriusque nasi alae partes servatae sunt, vel septum narium infima parte haud penitus amissum est. Hic de utraque nasi ala neque minus de septo tantum resecandum est, quantum ad margines omnibus in partibus, quae cum cutis lobo coire debent apte conformandos necessarium videtur. Ubicunque igitur nasi alae ita prominent, ut ad conformandum integrum nasum adhiberi possint, ibi excisuras laterales (Tab. V. Fig. 4. *o p* et *q r*) fieri haud opus est, hae igitur inde ab extremis ipsarum partibus (*o* et *q*) non ad eas partes usque quas *p* et *r* litteris notatas videre est, sed usque eo tantum producendae sunt, ubi servata pars prominere incipit, lobus igitur cutaneus cum oblata cutis parte connectendus neque in excavatam excisuram immittendus est. Suturam vero, ubi excisura prominenti parti contermina est, et in hac et in illa quam accuratissime faciendam esse, nisi molestas hoc in loco plicaturas oriri volueris, ne mentione quidem dignum est. Simili ratione excisuram transversam fieri haud opus videtur, si modo septum aliqua ex parte ita servatum est, ut commode adhiberi possit. Quae quum ita se habent, septum modo recta resectum et sutura comprehensum cum adaptata lobi cutanei cruda facie exactissime committitur.

§. 38.

Ipsa partium delineatarum excisio usque adeo differri debet, donec illita vernix (quod fere temporis puncto fieri solet) penitus exsiccata sit. Quodsi partes praepropere exciduntur, facile fieri potest, ut lineae, quum vulnera durante operatione spongiis cruentis deterguntur, prorsus obliterentur, nec incisurae ad amussim accommodari possint.

Ut omnes cutis incisurae, sic excisiones vehementes dolores excitant, quas et accuratissime et citissime perficiendas esse facile intelligitur. Quo exactius id fieri possit. scalpellum acie non multum convexa quod Tab. V. Fig. 6. ad amussim repraesentat, adhibetur, quo manu haud intremiscente retento, cutis cum subiacente tela cellusa primum ad partem *o* (Fig. 4.) transfigitur, deinde uno tenore tam fortiter tamque exacte interna in linea usque ad partem *p* et ita quidem inciditur, ut incisuras hic illic renovare haud necessarium sit. Internam lineam semper primum incidendam esse, ex eo patet, quod primum incisa externa, sanguis super internam, non multum profundius positam profusus. lineam obducit. Facta incisura prima, scalpellum parti *o* ita immissum, ut suprema in parte, ne summa cutis cohaereat, altera incisura cum prima crucis minutissimae figuram repraesentet, externa excisurae lateralis in linea usque ad imam partem *p* productum, ita flectitur, ut ambae incisurae longitudinales tertia transversa coniungantur. Quibus peractis circumcisa cutis pars forcipe accurate denticulata comprehenditur, comprehensaque

et adducta de tela cellulosa subiacente resecatur. Altera excisura lateralis neque minus transversa prorsus eodem modo perficiuntur.

Ubi residuae vel alarum nasi vel septi narium partes servari possunt, excisuras igitur toto quem figura exhibet (Tab. V. *Fig. 4.*) ambitu fieri haud opus est, ibi quousque res postulat (Cf. §. 37.) incidendum est. Ubi excisurae cavatae finis parti prominenti quae sola resecetur necesse est, contermina est, ibi vel idem scalpellum, vel, si opus est, forfex fortior adhibetur.

§. 39.

Peracta curti nasi vulneratione, fila ad suturam statim immittenda sunt, quo citius, postquam cutis lobus excisus est, et sutura fieri possit, et sanguinis e vasculis acu vulneratis profluvium, dum pars frontalis detrahitur, evanescat. Fila curatissime observato ordine immittenda sunt, quod praecipue ad partes ministrorum pertinet, qui ad latera constiterunt. Primum infimorum vel dextrum vel sinistrum ad partem vel *p* vel *r* ita immittendum est, ut alterius fili extremitatis acu in excisura prope internum ipsius marginem recto angulo posita, (concava scilicet ipsius facie extrorsum conversa) per fundum vulneris transmissa, cutis exactissime in centro asterisci oppositi acie fortiter sublata transfigatur. Quibus peractis, ambae fili extremitates ministro ad latus stanti traditae, ab ipso caute duobus solum digitis, ne ceteri ceteris huius lateris suturae filis deficiant, leniter, neque ullo modo adstrictae retinentur. Quum vero utraque fili immissi extremitas suam in acum coniecta sit, iam transmissae per carnem extremitatis acus a ministro detrahitur ut altera fili extremitas, quae per lobum cutis frontalem transmittenda est, eo quod in acum coniecta est, facilius postea cognosci possit. Postquam unius lateris infimum filum transmissum ac ministro traditum est, iam alterius lateris infimum filum prorsus eodem modo transmittendum atque alteri, qui alterum ad latus constitit ministro, servandum traditur. Deinde primo in latere alterum ex ordine filum infimo vicinum immittitur, quo immisso, opposito in latere alterum eodem modo adaptandum est. Qua certe laterum vicissitudine opus est, ut ministris tempus supersit, quo singulas binas sibi traditas filorum extremitates, accuratissime observato ordine singulis digitis separatas ita comprehendant atque retineant, ut singula ipsorum paria, quando postulatur, et commode invenire, et inventas facili negotio reddere possint. Quibus expositis, reliqua etiam fila unum post alterum usque adeo immittenda esse, donec in excisuris lateralibus omnis sutura praeparata sit, per se patet. Novissime ambo, quibus septum comprehendendum est, fila immittenda, immissaque ministris ad latera stantibus tradenda sunt. Ipsos ministros, dum fila immittuntur, maxime animum attendere oportet, ne confusis filis et acubus quae detrahi debent delapsis, molestissima operationi mora afferatur.

Actus quartus.

Cutis lobi e fronte excisio.

§. 40.

Cutis lobus altero scalpello [1] quod ad manus esse debet e fronte excidendus est, quod scalpellum in perficiendis excisuris ad fortius producendas incisuras prius adhibitum, semper magis minusve obtusum est. Iam vero scalpelli dextra comprehensi apice in unum vel alterum angulum, qui ad partem *d* est, (Tab. V. Fig. 4.) usque ad pericranium immisso, cutis in linea inferiora versus uno tenore inciditur. Quodsi scalpellum sinistro in latere in cutem immissum est, incisura ad partes quae *k*, *h*, *u*, *y* litteris notatae sunt, producenda est, cavendum vero, ne in regione *u* ad partem *a* usque producatur. Altero in latere prorsus eodem modo inciditur, incisuram scilicet inde a dextro partis *d* angulo per regionem *i*, *f*, *t* litteris designatam ad litteram *x* usque producendo. Ipsum scalpellum, dum inciditur, omnibus utriusque lateris in partibus tam fortiter et retinendum et immittendum est, ut ductus postea hic vel illic renovari haud opus sit, quo et supervacui dolores excitantur, et ipsae vulneris facies magis minusve inaequales evadunt. Praeterea negligendum non est, dum incisurae fiunt, cutem sinistrae pollice et indice fortiter adducere, quandoquidem incisuras valde inaequales fieri debere, si illa mobilis est, facile intelligitur, neque incisuram ad partem *d* transversam prius confici oportet, quam laterales productae sunt, quo cutem, dum hae fiunt, firmius retineri posse, servato scilicet ad superiores regiones partium connexu, per se patet. Ipsae transversae incisurae extremitates trans extremas utriusque incisurae longitudinalis partes ita producendae sunt, ut prolongatae non multum cum illis crucis minutae figuras repraesentent. Quodsi neglectum est, partibus in angulis adhuc cohaerentibus, cutis lobus et difficilius et tardius et vehementioribus cum doloribus exciditur. Id quoque in perficienda incisura frontali praeceptum observandum est, quod, exacte quidem servata inter scalpelli ductus producta linea, ipsum tamen ad externam magis quam ad internam lineae partem retinendum est, ne cutis lobus, qui, postquam excisus est, per se iam aliqua ex parte deminuitur, nimis omnino contrahatur.

§. 41.

Facta incisura frontali, cutis lobus ad partem *d* comprehenditur, et adductus ita exciditur, ut omnes super pericranium positae partes detrahantur, ipsum itaque pericra-

[1]) Tab. V. Fig. 16.

nium nudum in cranio remaneat. Dum cutis exciditur scire licet, scalpelli aciem magis ad pericranium quam ad partem lobi cutis cellulosam convertendam esse, quod omnis nimia telae cellulosae iactura cutis lobi nutritionem vel prohibere, vel saltem deminuere potest. Praeterea incisurae melius a latere vel dextro vel sinistro quam superne fiunt, ut sanguis commodius defluat, neque ima in parte collectus excisionem praepedire possit. Quibus observatis praeceptis, cellulosa cutis lobi facies ad radicem nasi usque detrahitur, ubi (Tab. V. Fig. 4.) linea transversa a parte x usque ad partem y producta cogitari potest.

§. 42.

Iam cutis lobo e fronte exciso, sanguinis profluvium omnibus in partibus quam accuratissime cohibendum est. Quod quidem in vulneratis nasi mutilati partibus, si sanguis non sponte profluere desinit, spongia e frigida expressa iterum atque iterum admota facili negotio fieri potest, ubi tamen unum vel alterum vasculum quod sanguinem fortius emittit, ligatura excipiendum videtur, ibi fila ad perficiendam suturam immissa fortiter contorquentur, contortaque et adstricta glutinantis emplastri taeniola ad genam affiguntur. Haud modicum sanguinis e frontis vulnere profluvium, vehementissimum ad nasi radicis regionem est.

Donec inciditur, minister, appressis digitis, sanguinis profluvium cohibet. Sin autem, peractis incisionibus, adhibita frigida sistendo sanguini non sufficit, maioris capacitatis vasa, sicut res postulat, vel simplici ligatura excipiuntur, vel circumducto per vicinas partes filo constringuntur. Minores arteriae, quarum plurimae nonnunquam ex incisae cutis marginibus sanguinem emittunt, agarico molliori arctius appresso, quo totum simul frontis vulnus obducendum est, conteguntur, tamquam optimo remedio, quo sanguinis minoribus e vasis profluvium brevi tempore coërceri potest.

Ipsam operationem, donec sanguis omnibus in partibus vulneratis constiterit, intermittendam esse, quod fieri solet, ut collectus inter commissas partes sanguis [1] consolidationem prohibeat, facile intelligi potest.

Actus quintus.

Sutura.

§. 43.

Priusquam partes sutura comprehenduntur, crudae vulnerum facies quae inter se

[1]) Cf. §. 10.

committendae sunt, ne cruor aliqua in parte remaneat[1]) detergendae sunt. Quem ad finem detractis prius adhibito forcipe maioribus cruoris globulis, subtiliora quae ab isto fiunt vulneris integumenta spongia frigida imbuta eliquantur. Quibus peractis, cutis lobus de fronte labium superius versus placide leniterque deflectitur, atque deflexus ad nasi radicem circum axem suam ita torquetur, ut confecto circulo dimidio, cruda superficies introrsum deorsumque, altera, epidermide obducta, extrorsum sursumque spectet. Ceterum, vel dextrorsum torqueatur vel sinistrorsum, quum dimidius tantum circulus conficiendus sit, latera, quae, antequam iste circumflexus est, ratione habita utriusque excisurae longitudinalis, sibi opposita erant[2]), iam ita sibi respondent, ut (Tab. V. Fig. 6.) margo dexter *f* excisuram sinistram *n*, margo sinister *h* excisuram dextram *m* occupet. Quodsi, mensura accuratissime facta, deflexus et contortus lobus cutaneus brevior omnino videtur, neque *h* et *f* anguli commode neque ullo modo adstricti ad imas excisuras (*m*, *n*) pertinent, factum est plerumque, ut cutis ad nasi radicem de subiacente tela cellulosa non satis resecta sit, ubi invento tensionis loco caute usque adeo incidendum est, donec lobus cutaneus commode adaptari potuerit. Fieri etiam potest, ut lobus dextrorsum contortus commodius adaptari possit, quam sinistrorsum, et contra, ubi utrum magis conferat, accuratissime explorandum est, tum vero lobus ad id latus, unde quam minima tensio fieri videtur, torquendus est.

Iam deflexionem lobi frontalis et contorsionem, quam Carpuius tam negligenter[3]) et descripsit et delineavit, ut, utrum cruda facies, an altera, epidermide obducta, externa nasi pars esse deberet, vix intelligi posset, et exhibita accuratissima descriptione, et figura (Tab. V. Fig. 6.) ad virum, cui nasus nuper restitutus est, exacte delineata, ita exposuisse nobis persuasum habemus, ut non solum modus, sed etiam effectus contorsionis, si modo et praecepta de hisce rebus tradita in memoriam revocare et lobi cutanei partis inter oculos positae figuram intueri volueris, clare elucescat.

§. 44.

Lobi frontalis (Tab. 5. Fig. 6.) angulis *h* et *f* cum imis excisurae utriusque partibus (*n*, *m*) et commode et exacte congruere visis, partes sutura comprehendendae sunt, cuius infima utroque in latere ligatura primum adaptatur. Ministrorum qui ad latera constiterunt uterlibet, fili in imam excisurae partem immissi[4]) eam extremitatem, de qua acus nondum detracta est, suppeditat, quae fortius comprehensa, per lobum cutaneum ex averso et ita quidem transfigitur, ut apex per medium imum asteriscum infimae exci-

1) Cf. l. m. l.

2) Cf. §. 33.

3) Carpue, germ. ed. Michaelis. Prooemium, pag. VIII.

4) Cf. §. 39.

surae parti opposito transeat. Ipsa acus recto ubique angulo transfigatur necesse est, ne foramine obliquo facto, filum partes citius mordeat incidatque, unde molestiores cicatrices fieri, satis cognitum est. Acus transfixa de filo detrahitur, quo facto, immissi fili extremitates, altera prius per asteriscum *u* (Tab. V. Fig. 4.) altera, iam detorto cutis lobo per asteriscum *f* transmissa, apte et ita quidem, inter se coniunguntur, ut cutis lobus ad partem *u* satis omnino retineatur. Ipsae filorum oppositae partes diversimode inter se connecti possunt. Fila enim vel simplices in nodos perinde ac in sutura nodosa contrahuntur, sicut Carpuius praecipit, vel partium margines, quod iam antea commemoratum est, bacillis ligatoriis inter se committuntur. Nodis simplicibus id incommodum inest, quod, quam fortiter partes constringendae sint, exacte diiudicari non potest. Ceterum contractus nodus, si male accommodatus visus est, et aegrius omnino et tardius solvitur, nec ipsam inter curationem, quod sanguine et pituita conglutinatus est, vel adstringi vel remitti potest, sicut res exigit. Si solvendus est tamen, fieri non potest, quin vehementes non solum aegrotanti dolores excitentur, sed partes etiam, quo minus solidescant impediantur, siquidem manibus interum atque iterum impositis, vulneris labia et offenduntur et distenduntur. Quum vero totius negotii cardo in eo vertatur, quod partes quam exactissime inter se committendae sunt, bacilla ligatoria [1]), quorum utilitas atque praestantia usu iam satis comprobata est, omnino praeferenda esse, facile intelligitur. Quae ubi adhibentur, filorum extremitates, altera per flexum cutis lobum, altera per faciei cutem ad partem *u* transmissa, in noduli foramen coniectae, et leviter adstrictae [2]) in furculam implicantur. Infima ligatura, antequam ceterae immissae sunt, semper remissius adaptanda est. Applicatum bacillum ligatorium ministro ad latus stanti traditur, quo accuratius retentum neque dependere, neque partes distendere possit. Infima ad alterum latus ligatura remissius applicata, infima alteri lateri ligatura prorsus eodem modo adaptatur, quo facto, an lobi positus congruus sit, iterum oculis perlustrandum est. Qui si congruere visus, nec aliqua ex parte mutandus est, iam ceterae ligaturae laterales ab inferioribus ad superiores magis magisque adscendendo, accuratissime observato ordine, iisdemque praeceptis, quae in applicanda infima ligatura fusius modo exposita sunt, immittuntur. Omnes ligaturae initio remissius adaptandae sunt, quia, dum acus ex averso transfiguntur, lobus non multum reflectendus est, quod, ligaturis adstrictioribus, partibusque iam arctius inter se commissis, nec facile, nec tuto fieri posse, per se patet. Postquam omnes ligaturae laterales quam exactissime immissae sunt, novissime ambae illae, quibus septum comprehendatur, applicandae sunt.

Quibus adaptatis, bacillis omnibus ordine dispositis, iam singula fila modo prius [3])

1) Cf. §. 26.
2) Cf. l. m. I.
3) Cf. §. 26, 2.

exposito usque adeo adstringuntur, donec partibus firmiter inter se commissis, crudae facies altera alteram quam exactissime excipiant. Cavendum est ne ligaturae nimis omnino adducantur quo cutem comprehensam sphacelo facillime absumi coguitum est.

§. 45.

In applicandis singulis suturae ligaturis fieri potest, ut, ubi coniungenda vulneris labia magis minusve angulosa sibi opposita sunt, flexi lobi frontalis margo faciei cutem et supereminent et contegat aliqua ex parte, quamvis fila, quo accuratius partes inter se committerentur, leviter iam adstricta sint. Quod ubi factum est, quum neque crudas vulneris facies exacte sibi respondere, neque perfectam partium consolidationem et ipsam alterius cutis marginis molestissimam prominentiam utique expectandam esse, per se pateat, ibi corpuscula eburnea [1]), quae et accurate descripsimus, et ad amussim delineari curavimus, (Tab. V. Fig. 9. 10.) singulis suturae fibulis subiicienda sunt. Quae subter bacilli ligatorii nodulum inter utramque transmissi fili partem ita adaptantur, ut convexa quaeque facies ad cutem, plana ad instrumenti nodolum spectet, filum vero in crenam implicetur, quae in parte convexa est. Quo facilius id intelligi possit, figuram XII^{mam} (Tab. V.) delineari iussimus, quae ad partem *a* bacillum ligatorium defractum, sicut, corpusculo nondum subiecto, filis iam non adstrictis, in cute positum est, ad partem *b* subiectum corpusculum, filumque ita adstrictum, ut partes iam commissae sint, exactissime repraesentat. — Figuras (Tab. V.) et IX^{nam} et X^{mam} inter se comparando, corpuscula haud pariter convexa evadere, videre est. Quae varia convexitatis ratio angulorum diversitati respondet, sub quibus committendae cutis facies coëunt. Confirmandis quidem ligaturis lateralibus, ubi labia obtusum angulum exhibent, corpuscula minus convexa sufficiunt, in septo tamen, quod cum lobo frontali recto sub angulo committendum est, ceteris paribus, corpusculis quibus ligaturae adiuventur multo convexioribus opus est.

§. 46.

Singulis ubique ligaturis, sicut expositum est, et exacte et tuto confirmatis, bacilla ligatoria ita in facie distribuenda sunt, ut ratione habita omnis quae aegrotanti afferri possit molestiae, neque dependeant, neque partes distendant aliquo modo. Sin autem, mutato bacillorum positu, partes hic illic distenduntur, filum magis magisque remittendum, contra, caute adstringendum est. Quibus peractis, singula bacilla ligatoria, ordine, quem figura repraesentat (Tab. V. Fig. 6) disposita, aliquot emplastri glutinantis taeniolis, ne, dum vacillant, et vulnus rescindant, et cutem nimis distendant, agglutinanda sunt.

Actus

1) Cf. §. 27. 5.

Actus sextus.

Deligatio.

§. 47.

Iam ligamentis curandum est, ut nares non solum, dum vulnera sanescunt apertae retineantur, neque nasi arcus collabatur, sed recens etiam nasus a frigore omnique aëris circumfusi vi tuto defendatur.

Quo commodius nares apertae servari possint, turundae [1]) immittuntur, quarum antea mentionem iniecimus. Praeterea tantum linamenti mollioris super eas, nasi radicem versus in cavum demittendum est, quantum arcui apte sustinendo omnino sufficere videtur. Etenim nasus, ne postea male figuretur, quam accuratissime suffulciatur necesse est, siquidem cutis lobus, quas durante inflammationis exsudatoriae periodo curvaturas obtinuit, eas maxima ex parte constantissime servat. Nimis tamen nasi cavum linamento implere, quo et ligaturae adstringuntur, et cutis lobus ab excisuris ita dimovetur, ut solidescere non possit, minus omnino proficuum est. Necessarium quoque est, ut linamentum, antequam in nares immittitur, unguento vel rosato vel simplici quolibet oblinatur, ne, quum crudas partes offendit, nimiam inflammationem excitet, neque agglutinetur, sed unguento veluti mitigatum, interna in facie, quae suppurare debet, pus leniter moveat, ac, si primum renovatur, facilius extrahi possit. Naso, sicut praeceptum est, linamento repleto, penicillum unguento illitum ad septum naresque transverse applicandum est, quo crudi septi margines ita et involvantur et defendantur, ut, quando ligamenta demuntur, neque irritentur, neque distendantur utralibet. Frontis etiam vulnus aeque ac nasi radicis pars, quae crudam superficiem repraesentat, quo facilius et omne irritamentum defendatur, et ipsae partes salutarem suppurationem ineant, penicillis maioribus unguento inductis contegitur, quae emplastri glutinantis aliquot taeniis retineantur necesse est. Novissime externa recentis nasi facies penicillis siccis, superaddito multo bombyce aromatico [2]) operienda est, emplastri glutinantis taeniis ita retinendo, ut aptum calidumque resarcitae partis integumentum sit. Quibus peractis, aeger lecto traditus, et capite pectoreque ita suffultus, ut magis sedere, quam iacere videatur, supinus cubare iubetur.

Actus septimus.

Curatio secundaria.

§. 48.

Quae, peracta Rhinoplastices operatione, quoad victus rationem, nec minus vim

[1]) Cf. §. 27. 3.

[2]) Cf. §. 27. 5.

vitalem tam exacte dirigendam, ut et margines tuto solidescant, et interna lobi in facie vegeta granulatio exoriatur, curae nobis cordique esse debent: ea, quum iisdem fere legibus obsequantur, et plurimum omnino ad prosperum successum momenti afferant, a variis operationis nostrae auctoribus eodem modo et respiciuntur et exponuntur. Exactius tamen omnem curationem secundariam exponere, quod in explicanda Germanica methodo melioribus observationibus illustrata fusius recensebitur, supervacuum iudicamus. Ea solum hic afferre liceat, quae, licet in generali illa expositione [1]) contineantur, proprie tamen ad Indicam methodum pertinent.

§. 49.

Adhibita Indica methodo, quum recens nasus cum cetera faciei cute apte cohaereat, sutura prius omnino, quam alio quolibet operationis in genere eximi potest. Praeterlapsis quadraginta octo horis, singulae ligaturae oculis exacte perlustratae tutissime eximuntur, ubi vulneris orae ita inter se unitae sunt, ut digito placide imposito, leviter adductus nasus, ipso etiam remisso filo faciei cutem et facile et tuto adstringat et marginum commissura massa solida, flavescente, lymphae scilicet coagulo, vel crusta arida, succino simili contecta est. Quem ad finem immisso subter bacilli nodulum altero forficis apice, filum in ipsa fere cutis facie haud trepidanter resecatur. Resectum, bacillo leniter adducto, tam facile e foramine eximitur, ut ne minimos quidem inter extrahendum dolores excitet. Nonnunquam, inducta brevissimo temporis spatio omnibus in partibus cicatricula, praeterlapsis duabus et septuaginta horis integra iam sutura eximi potuit. Ubi consolidatio omnibus simul suturae in partibus perfecta non est, ibi solvendae tantum sunt, quae crudos vulneris margines ad conglutinationem adegerunt, adstringendae vero, quae nihil ad consolidationem fecerunt ligaturae. Partes nondum inter se unitas esse ex eo intelligi potest, quod vulneris subter ligaturas margines et suppurant et hiant et altius omnino fatiscunt. Ibi adstricta, sicut praeceptum est, fila diductas partes de integro non solum committunt, sed irritando etiam auctam cutis inflammationem excitant, qua provocata, dubium non est, quin, actuositatis vitalis ratione habita, ipsa marginum consolidatio magnopere et adiuvetur et promoveatur. Quae quidem filorum adstrictiones in septo praesertim fiant necesse est, et quod angustior cutis pars vita haud satis exstructa est, et ipsum vulnus continuo emanante pituita relaxatum solidescere prohibetur: omnibus tamen in partibus vivida cicatricula nondum commissis quotidie usque repetendae sunt, donec vel crudi vulneris margines coaluisse, vel fila cutem et mordere et incidere videantur. Quodsi metuendum est, ne cutis incidatur, quoniam facta incisione molestissimam cicatricem induci per se patet, sutura statim eximenda, vulnus vero

[1]) Cf. Sect. V. §. 125—128.

impositis aliquot emplastri glutinantis taeniolis ita committendum est, ut confirmata praesertim in partibus vicinis cicatricula, et tuto et apte solidescat.

§. 50.

Ad curationem secundariam post adhibitam Indicam methodum peculiarem partis cutaneae etiam cura pertinet ad nasi radicem contortae, quae ita intumescere solet, tamque deformem semper in torum assurgit, ut collapsis postea partibus, molestissimus cutis tumor haud penitus evanescat.

Igitur curam isti cutis habenae sollicite adhibendam esse, ex eo patet, quod et nasus apte figuretur, et summa ipsius parte cum subiacente tela cellulosa conglutinetur necesse est. Utrumque, donec cutis in nasi radice (*o q* Tab. V. Fig. 4.) intacta [1]) maneret, fieri non potuit. Nonnunquam cutis habenam fortiter intensam tam arcte insidere observatur, ut eam coaluisse verisimile fiat. Quod specillo subtiliori commode explorari potest, mediam ad plicam, ubi cum nasi radice contigua est, ita applicato, ut nodulus subter habenam transmitti possit. Leniter rotatum plerumque facili negotio traducitur, apparente altero in latere nodulo, quo transmisso, partes nondum coaluisse, neutiquam dubitandum est.

Ipsa contorta cutis habena nunquam stato tempore, sed tum denique scalpello diducenda est, quum necessariae partium transmutationes incidendi indicationem suppeditaverint, quod vel citius vel tardius fieri posse, facile intelligitur, quandoquidem haud prius incidendum esse, quam et nasus omnibus in partibus tam perfecte coaluerit, ut satis alimenti eum de novo solo trahere dubitari nequeat, et inferior vulneris frontalis pars perfecta cicatrice inducta fuerit, usu satis probatum est. Quae si neglecta sunt nasi non solum nutritio praepeditur, sed ipsa etiam cutis tardius solidescit, et molestior omnino cicatrix inducitur, quod superne defluente multo pure et inferiores partes continuo emolliuntur, et ipsae, donec infimum frontale vulnus nulla cicatrice obductum est. aptis ligamentis a pure defendi nequeunt. Contra, ubi nasus satis coaluisse, et cicatrix satis confirmata visa est, ne, curatione in serum protracta, cutis habena nimis firma, ipsa tandem fere cartilaginea fiat, quo conformandae supremae nasi parti prorsus eam ineptam evadere per se patet, protinus incidendum est.

§. 51.

Quodsi opportunum videtur incidere, haud diutius cunctandum est. Quo enim prius incisum est, eo aptius cutis habena cum nasi radice committitur. Incidendum vero est ita, ut, postquam specillum crenatum subtilius subter habenam transverse transmissum

[1]) Cf. §. 33.

est, scalpellum angustum, quale Tab. V. Fig. 7. exhibet, in crena ponatur, partem obtusam totamque fere laminam excipiente, tum acie oblique sursum antrorsumque conversa, apice opposito nasi in latere ad plures lineas prominente, iam extracto specillo, plica non transverse, ut Carpuius [1]) praecipit, sed plaga sursum antrorsumque directa diffindatur. Sic tenuis et acutus suprema nasi in parte lobulus efformatur, qui, quum ad ceteras partes congruat, commodissime adaptari potest. Quodsi inferior ipsius pars, cicatrice prius confirmata, vel epidermide obducta est, vel deformis videtur omnino, de inferiori facie deque inducta epidermide inde ab apice usque ad partes consolidatas, quantum partibus aptius conformandis sufficiat, resecetur necesse est. Lobulo sic praeparato, iterum admoto scalpello, in subiacente cute (Tab. V. Fig. 4. *o q*) quae intacta mansit, cruda facies efformanda est, qua lobulus et commode excipiatur, et exceptus perfecte solidescere possit. Simul de altera habenae parte, quod prominet resecandum est, ne frons molestiori eaque valde salebrosa cicatrice inducatur. Quibus peractis, iam lobulus aliquot emplastri glutinantis taeniolis transverse impositis, ita adaptatur ut aequaliter in nasi dorso desinat. Nam sutura plerumque haud opus est, siquidem emplastrum glutinans lobulo et tuto et apte committendo saepissime sufficit. Quae denique generales regulae ad iuvandam partium consolidationem pertinent, eas in committendo etiam cutis lobulo quam accuratissime observandos esse, per se patet.

Actus octavus.

Conformatio progrediens.

§. 52.

Solidatis crudis partibus, necessarium est, ne nasus male figuretur, quaedam mechanica auxilia in usum trahere, quae licet in adhibenda Indica methodo, quod ex omni historica notitia [2]) intelligere est, prorsus neglecta sint usque ad hanc aetatem, tam prosperum tamen effectum exserunt, ut nasum non solum suam in peculiarem formam redigant, sed proximo etiam anno a quibuslibet figurae transmutationibus, iisque facile molestissimis, tutissime defendant. Quod quum recentioribus experimentis satis superque demonstratum sit, opus esse istis auxiliis obiter tantum asseruisse sufficiat. Singula quae huc pertinent praecepta in exponenda Germanica methodo [3]), et quod omne operationis genus talem secundariam curationem sibi exposcit, et quod hoc praesertim in genere ad

[1]) Carpue, germ. ed. Michaelis. p. 33—38.

[2]) Cf. §. 18. 19.

[3]) Cf. §. 134—45.

progredientis conformationis adminicula diligentius animum adtendere licuit, fusius exhibere non dubitabimus.

Morbi historia.

§. 53.

Etsi Indica methodus in Universitatis Regiae Berolinensis instituto clinico-chirurgico et a nobis et a discipulorum nonnullis frequentata est, unicam tamen morbi historiam tamquam exemplum adiecisse ideo sufficere putamus, quod ceterarum summa in norma modo tradita, ad quam Indica methodus dirigenda est, continetur. Quae morbi historia ceteris ideo praeferenda videtur, quod de aegrota est, cuius exesum nasum secundum Indicam methodum primum ad vivum restituimus.

§. 54.

Christiana Müller, sartoris Berolinensis uxor, annos nata quinquaginta unum, aliquot liberorum adultorum mater, valetudine olim prosperrima usa, ante hos octodecim annos dextra nasi in ala maculam haud magnam suppurantem animadvertit, quae licet saepius crusta arida induceretur, tamen magis magisque usque adeo increvit, donec totum non solum dextrum nasi latus, sed magnam etiam malae partem occuparet, iamque sinistram nasi alam exederet. Quo vitio turpiter dehonestata, quum longa annorum serie ab arte plurimorum medicorum parum aut nihil auxilii impetrasset, erescente ulcere tandem

Sub initio M. Aprilis A. MDCCCXVI in instituto clinico nomen professa est, quo tempore maximam non solum nasi, sed dextrae etiam malae haud mediocrem partem ulcus exeserat, de cuius natura dubium exoriri vix potuit, siquidem non solum e marginibus serratis, asperis, revolutis, sed fundo etiam salebroso, colore squalido, continuo ichoris foetidissimi, sanguinisque post levissima irritamenta profluvio, neque minus e subitaneis doloribus punctoriis longissimoque mali pertinacissimi tempore faciei carcinoma facillime dignoscere licebat. Cuius curationem, quum examine rite instituto, nulla iam peculiaris aliqua causa debellanda videretur, hydrargyro muriatico corrosivo et interne et externe adhibito incipere non dubitavimus. Totum vero ulcus unguento corrosivo contegere, noxium ideo visum est, quod latiori faciei illitum, nimiam semper irritationem efficit. Ulcere igitur in tres partes diviso, unguentum iterum atque iterum impositum vehementes quidem effectus exseruit, scilicet crustis diutius adhaerentibus, malignissimi tamen carcinomatis naturam felicissime transmutavit. Aegrota tunc temporis viribus haud mediocriter destituta, hydrargyrum reiici et corticem, diaetam nutrientem, vinum,

amara in usum vocari iussimus, quibus factum est tandem, ut ulcus (duorum mensium spatio (usque ad d. XXIX^num^ M. Maii) perfecte consanesceret.

§. 55.

Cicatrice inducta, talem aegrota aspectum praebuit, qualem effigies (Tab. II. Fig. 1.) ad naturam delineata exactissime repraesentat. Tota fere cartilaginea parte amissa, exigua tantum alae pars, tenui cutis habena cum narium septo, et ipso valde diminuto cohaerens, superfuit. Sinistro in latere concha inferior, dextro, media et inferior sub aspectum cecidit. Dextra in mala, latae ulceris cicatrices, totum horrendi cavi ad ambitum variae cutis plicaturae oculis sese obtulerunt.

Etsi aegrota malo sanato valde gauderet, relicto tamen dehonestamento, mox graviter animo afflicta est, neque ullum velandi genus tutius contegendae faciei turpiter dehonestatae sufficere videbatur. Qua de causa nunquam fere e cubiculo egressa miserrima omni cum hominibus commercio sollicite abstinebat. Quibus ita se habentibus, quum e frontis cute nasum restitui posse certior facta esset, nova spe oblata, laetissima statim operationis periculum subeundi consilium cepit.

§. 56.

Aegrotam igitur, quum per duos menses optime habuisset, nec ipsa cicatrix recrudesceret, nec ullus vel dolor, vel prurigo, vel caloris sensus vel rubor suspiciosus malum redire indicaret, methodo ante exposita [1]) praeparavimus, ipsamque operationem

Die XXVIII^vo^ M. Julii A. MDCCCXVII hora secunda pomeridiana coram Ill. Richtero Doctore, S. R. M. a Consiliis rerum medicinalium intimis, neque minus Cel. Bernsteinio Doctore Professore, circumfusa ceterorum et medicorum et studiosorum multitudine suscepimus, Iiingkenius, Michaelis, Beerius Doctores, neque minus Nary Praefectus chirurgis superior et Martensius Chirurgus primarius laudabili et sollertia et dexteritate auxilium tulerunt,

Facta mensura partibusque accurate delineatis [2]), dextro in latere incisuras longitudinales fecimus [3]) quibus excisura fieret, ubi scalprum fortius immitti debebat, quod cicatrix ea cutis in parte confirmata, cartilaginis fere soliditatem adepta erat. Sinistro in latere incisurae longitudinales solam ad superiorem dimidiam partem factae sunt, quum residua alae nasi pars servari posset [4]) de qua tantum solummodo resecuimus, quantum

1) Cf. §. 21.

2) Cf. §. 30—36.

3) Cf. §. 37—39.

4) Haud recte id quidem, quod altero in latere vix tantum servari poterat. Commodius haud dubie integra nasi ala resecari et talis sinistro in latere qualis in dextro excisura fieri debuisset, quo

ad lineam uno tenore continuandam omnino conferre videbatur. Excisuram transversam ad excipiendum septum fieri haud opus fuit, quum residua septi pars prominerct, quam recta linea resecari curavimus. Quibus incisionibus (ad septum scilicet et nasi alam) factis, fieri non potuit, quin cutis particula utrisque intermedia, cuius figuram tabula (II. Fig. 1.) exhibet, amitteretur. Iam curto naso vulnerato, singulas suturae ligaturas [1], quatuor quodvis ad latus, et duas ad septum applicavimus. Lobum vero frontalem sicut ante expositum est, efformavimus [2]) sanguinis e frontis vulnere profluvium simplici ligatura appressoque agarico cohibendo. Deflexus cutis lobus.[3]) optime congruere visus, exactissime observatis praeceptis [4]) sutura comprehensus, et quamvis inter detorquendum non multum pallesceret, vivido tamen colore haud penitus destitutus est. Simili ratione temperatura mutata est, ita ut calor imminueretur quidem, non tamen prorsus evanesceret. Praeterea et arcus et tota nasi figura convenientissima visa est, ipsa tamen commissa cutis inter respirationis vicissitudines et assurgebat et subsidebat. Ligamentis sicut ante praeceptum est [5]), adaptatis, frontisque vulnere penicillis contecto, aegrota quae operationem fortissime toleraverat, nemine adiuvante de sella surrexit, brachiisque opitulantium subnixa ad lectum paratum deducta est.

§. 57.

Curatio aegrotantis secundaria observatis praeceptis generalibus iam antea traditis [6]) instituta est, quam singillatim commemorare supervacuum iudicavimus. Igitur quod omissum videtur, id tamen ubique supponendum est, siquidem narratio nostra solum ad curationis effectum pertinet.

Toto operationis die aegrota bene habet, mitioris tantum caloris sensum in frontis vulnere, neque minus aliquam ea faciei in parte cui recens nasus adaptatus est tensionem minime tamen dolorificam conqueritur.

D. XXIX[no] M. Iulii. Aegrota placido somno noctu quievit, nasus, quod e detractis aliqua ex parte linamentis intelligi potest, iam calidior non multum intumuit, margines rubescere incipiunt, atque ad vulneris commissuram subtilem secretae coagulabilis lymphae lineam animadvertere licet.

D. XXX[mo] M. Iulii. Somnus placidus, tumor, calor, rubor auctus, non tamen nimius. Pulsus moderatus. Medicamina supervacua. Linamenta caute renovantur. Frons ut d. XXVIII[vo] deligatur, quaeque adhuc adhaerent turundae intactae relinquuntur. Dextro in latere partes tam perfecte iam consolidatae videntur, ut ipsarum liga-

facto magis homogeneam certe nasus utroque in latere formam obtinuisset. Quae vero regula, nimirum posterioribus experimentis constitutam (cf. §. 37.) prima in operatione prorsus incognita nondum observari potuit.

[1]) Cf. §. 39. [2]) Cf. §. 40—42. [3]) Cf. §. 43. [4]) Cf. §. 44—48. [5]) Cf. § 47. [6]) Cf. §. 48.

turae sine incommodo solvi possint. Sinistro in latere mediam solummodo utramque solvimus, ceteras leviter adstrictas relinquimus, quo melius partes solidescant.

D. XXXImo M. Iulii. Valetudo qualis pridie. Nasus tumidior non multum. Ligaturae reliquae laterales tutissime eximuntur. Linteola et linamentum renovantur, atque turundae recentes naribus immittuntur.

D. Imo M. Augusti. Omnia qualia pridie. Iam septi ligaturae eximuntur.

A d. IIdo usque ad VItum M. Aug. Cicatrix omnibus fere suturae in partibus perfecte confirmata, plurimae iam epidermide obductae, non multae pariter atque suturae vulnuscula et sero exsudato et pure liquidiori humida. Statu leviter inflammatorio, quo partes solidescunt, iam evanescente, partes humidae balsamo Commendatoris illitae linamento eodem medicamine imbuto conteguntur. Frontis vulnus simpliciter deligatur, abundans internae lobi faciei suppuratio multo e naribus emanante pure conspicua iniecta aqua saturnina coërcetur.

A d. VIImo usque ad Xmum M. Aug. Nasi tumor subsidere incipit, suturae vulnuscula unum post alterum solidescunt, frontis vulnus, quod usque adeo optimae granulationis speciem praebuit, ad marginem iam cicatrice obducitur. Aegrota tamen non nimis bene se habet, languorem, aurium susurrum, cephalalgiam conqueritur, pulsu non multum irritato, somnoque inquieto. Propinatur elixir acidum Halleri avenae decocto admixtum ad viginti guttas per horam sumendum.

A d. XImo usque ad XVItum M. Aug. Valetudo optima. Medicamina intermittuntur, nasi tumor imminutus est, arcus procedente intus granulatione tam firmus videtur, ut inter respirationem iam mobilis non sit, temperatura, quae ceteris faciei in partibus, color quidem pallidus non multum, cicatrix tamen omnibus in partibus perfecta. Frontis vulnus valde imminutum, procedente cicatricis conformatione nonnihil contractum. Inferior vulneris angulus aliqua ex parte cicatrice inductus.

A d. XVIImo usque ad XXmum M. Aug. Status aegrotae incitatior, qualis a d. VIImo ad Xmum usque perseveravit. Iterum propinatur acidum Halleri. Caro in frontis vulnere luxurians lapidem infernalem exigit. Cicatrice magis magisque extensa, iam vulnus deminuitur, et inferior ipsius angulus fere clausus videtur.

D. XXImo M. Aug. Cutis plicae dissectio, quae iam prius fieri potuisset, adversa vulneratae valetudine hunc in diem dilata erat. Iam vero vulnerata prospera valetudine gaudet, nec ullum quo minus plica dissecetur impedimentum obstat. Dissecatur itaque secundum praecepta ante exposita, et arteria e frontali ipsius parte sanguinem emittens ligatura comprehenditur. Naso iam conformato, epidermide de dorso ipsius detracta, integra superior recentis nasi pars dextrorsum inclinari visa, duabus ligaturis ad lobulum comprehensa sinistrorsum magis magisque torquetur. Quo facto, aptiorem omnino formam adipiscitur.

D. XXIIdo

D. XXII^da^ M. Aug. Leves ad regionem recentis suturae dolores. Tumor ad superiorem nasi partem auctus. Somnus plerumque quietus, pulsus frequentior quidem, non tamen ita incitatus, ut medicamina exigat.

D. XXIII^tio^ M. Aug. Valetudo optima, tumor nasi iam subsidere incipit, et nasi suprema pars omnibus locis solidescit. Ligaturae eximuntur. Abundans puris e naribus profluvium, quod aquae saturninae iniectiones usque adeo exigebat, diminuitur, remedia itaque supervacua videntur. Turundae iam siccae immittuntur, frontisque vulnus valde contrahitur.

A d. XXIV^to^ usque ad XXX^mum^ M. Aug. Puris e naribus profluvium fere nullum, cicatrix in fronte fere perfecta, nasus neque tumidus, et quantum exspectari potest, perfecte firmus. Narium margines lenes curvaturas exhibent ac ipsa nasi in cavitate optima cicatrice inducti sunt.

D. XXXI^mo^ M. Aug. Cicatrix in fronte omnibus partibus confirmata, nec ullo remedio adhibito solam per dynamicam contractionem quae semper in consolidationis periodo observatur, ita diminuta, ut superficiem pristina lobi cutanei area dimidio minorem exhibeat.

A d. I^mo^ usque ad VIII^vum^ M. Septembris. Omnis, ipsa interna in facie, suppuratio evanescit, nasus et perfecte solidus et optime figuratus est. Quibus ita se habentibus, aegrota quadragesimo tertio post operationem die ex instituto clinico dimittitur.

§. 58.

Nasi restituti figuram, qualis sexta post operationem hebdomada comparuit, tabula (II. Fig. 2.) ad amussim repraesentat. Ad nasi ambitum malam versus nonnullae cutis plicaturae in oculos cadunt, cicatricis post sanatum faciei carcinoma confirmatae reliquiae [5]). Praeterea frontis cicatricem postea magis etiam contractam, quanta quadragesimo tertio post operationem die comparuit, videre est. Septum cum naribus optime conformatum, et cicatrix ad ambitum recentis nasi commissurae ne mentione quidem digna videbatur.

Quibus peractis, sanata d. VII^mo^ M. Novembris A. MDCCCXVII Societati medicorum Berolinensium Praeside Perill. Hufelandio, Doctore, a Consiliis status, repraesentata est. Circumfusa medicorum Cel. multitudo curationis prosperum successum eo magis mirati sunt, quo pluribus ipsorum ipse operationis effectus minime extra omnem dubitationis aleam ponendus visus erat.

---

5) Cf. §. 55.

SECTIO IV.

Methodus Italica.

§. 59.

Ut artis rudimenta operi absoluto, sic Indica nasum conformandi methodus Italicae comparanda est. Illa vicinis et fere contiguis partibus neque artificiose neque difficiliori manuum opere nasum resarciendo minora impedimenta offert. Haec, ulterius progressa, maiora quidem impedimenta amoliri debet, et maiorem medicorum quum prudentiam tum dexteritatem, scientiam, peritiam sibi expostulat, amissas tamen faciei partes partibus longe remotis ad vivum restituere conatur. Artificiosam Italicam methodum, quae provectiorem haud dubie tam artium quam litterarum conditionem exigit, cum Indica simplici pariter atque facillima comparando, hanc illius veluti matrem esse, clare intelligi potest. Iam vero historiae [1]) argumentorum ratione habita, Italicam methodum serius ex Indica natam esse, quum et temporum ordo et ipse operandi modus talem coniecturam suppeditent, verisimillimum fit.

Ipsam operandi methodum, inferiori tunc temporis chirurgiae conditione, a medicis Italis et ingeniose excogitatam et animose frequentatam esse, maxime admirandum est. Tantum vero abfuit, ut, perinde ac artis praecepta postularent, id est simpliciter et missis ambagibus hanc curtorum chirurgiam facerent, ut potius, conscii ut videtur quantum invenerint, nimis suspensa manu plurimisque auxiliis, iisque vel maxime supervacuis, nasos restituerent, totam itaque ipsorum methodum nimia regularum farragine oneratam, facile laboriosissimam redderent. — Quam sicut in patria ipsius, unde nomen traxit olim frequentata, nunc vero in Germania ex antiquiorum temporum caligine recepta, denuo in lucem prolata variaque ratione emendata est, propriis observationibus illustratam exhibere non dubitamus.

1) Cf. §. 13. 14.

§. 60.

Methodus nasum e brachii cute longiori tempore conformandi primo quidem oculorum adspectu et medico tam difficilis et mutilato tam laboriosa molestaque videtur, ut quomodo fieri potuerit, ut tota haec curtorum chirurgia penitus obliterata ab omnibus negligeretur, haud arduum sit intellectu. Aequius tamen iudicium ferendum videtur, si modo, (quod saepius animadvertere contigit) Italicam methodum ideo nonnunquam praeferendam esse, quod, quum pedetentim ad finem perducat, maximam haud dubie utilitatem praebet, citatiores aliuscuiusque methodi processus salutares effectus non exserunt, frequentius observatum est.

Quae vero ad methodi Italicae indicationes curatius diiudicandas pertinent, ea, sicut usus ostendit, in hisce fere praeceptis continentur: Italica pariter atque Germanica nasum conformandi methodus, quod neque dehonestantem frontis cicatricem relinquunt, neque cranium nudetur necesse est (quod absque periculo vix fieri posse, antea demonstravimus), Indicae in universum praeferendae sunt. Ergo ubi peculiares corporis conditiones Indicam methodum adhiberi haud prorsus iubent [1]), ibi vel Italica vel Germanica praeferenda est. Quarum utra praestantior videatur, e conditionibus quae vel ad hanc vel ad illam magis provocent, diiudicandum est. Germanica methodus, quod partes et melius figurari possunt, et citius omnino sanescunt, ubi corporis natura adhiberi haud penitus vetita est, praestat. Quum vero corpus non solum perfecte sanum, sed brachii etiam cutem integerrimam, omnique morbosa irritabilitate [2]) (vulnerabilitate) liberam, solidam, mobilem esse exposcat [3]), ubi haec non sunt, neque dubitandum videtur, quin Indica methodus negligatur, necessarium est ad Italicam confugere, eamque facile fructuosissimam, quod partitum veluti vulneris irritamentum altiorem gradum, quo omnis excisae partis actuositas prorsus evanescat, vix consequi potest. Accedit etiam ad hoc, ut, priusquam cutis transponitur, propria eiusdem vita diutius quasi recollecta, haud mediocriter resuscitetur, ipse tandem lobus, quod per longius temporis spatium vicinis partibus adhaeret, tam solidus evadat, ut naso resarciendo haud aptior cutis inveniri possit. Unde, Italicam methodum prae ceteris adhibendam esse, ubi propria ipsius praestantia ad propositum aliquid conferre videtur, facile intelligi potest.

Quibus expositis, quae Calabrae methodi omnino ratio habenda sit, et ubi ceteris praeferri debeat, clare elucescit. Minime tamen praetereundae sunt, quae conditiones hanc methodum adhiberi prorsus vetare videantur. Nam ubi brachii utriusque cutis quum qualibet ratione morbosa, tum tenuis et tenera est, vel pars integumentorum corporis cellulosa, ut in obesis, adipe veluti resoluta videtur, vel corium inductis cicatricibus sub-

1) Cf. §. 17.
2) Cf. l. m. l.
3) Cf. Sect. V. §. 110.

iacentibus musculis adhaeret, ibi, quod lobus cutaneus, licet omnis cura adhibeatur, suppuratione tamen vel gangraena consumitur, nasus e brachio conformari omnino non potest, methodus itaque Italica prorsus negligi debet. Ubi tandem, obstantibus peculiaribus quibuslibet corporis conditionibus, ut nasus ad vivum restituatur, omnino fieri non potest, ibi ipsa etiam ab Italica methodo desistendum esse, ne mentione quidem dignum videtur.

Taliacotii operationis descriptio.

§. 61.

Quae de exercenda Italica methodo Taliacotius praecepta tradidit, ea tanta cura tantaque diligentia elaborata sunt, ut facile descriptionis exemplum haberi possint. Quum vero eius scribendi genus fastidiosa prolixitate fere exuberet, atque clara methodi expositio tot interpositis supervacuis ratiociniis obruatur, ne dicam sepulta iaceat, totum istuc, egregium haud dubie opus ad finem usque attento animo pertractare Sisyphii laboris esse per se patet. Quae quum ita sint, doctrina Taliacotiana certo et aptius et distinctius exponitur, si modo, missis, quae commodius mitti possunt ambagibus, in brevius contrahitur, ipsaque rerum dispositio, qua minus clara est, ita transmutatur, ut accuratissime quidem servata ipsa operationis descriptione, praecepta tamen et libere et dilucide exhibeantur.

Quas in conscribendo hocce tractatu regulas eo minus negligendas esse putavimus, quo exactius non solum historica, sed practica etiam pars, tot aevi praeteriti experimentis illustrata, elaboranda videbatur.

§. 62.

Cutis pars pro restituendo naso circumspecte eligatur necesse est [1]). Antibrachii cutis, quod cicatrix post necessarium vulnus relicta tegumentis minus obvelatur, oculis itaque minus subtrahitur, haud apta est omnino. Nunquam cutis adhibeatur, maioribus vasis intertexta, ne excitato incisuris vehementiori sanguinis profluvio, partis excisae vis vitalis nimis diminuatur. Evitentur quoque eae cutis partes, quibus remotis subiacentes vel maiores aponeuroses vel tendines vel nervi vel vasa capaciora nudantur. Pariter cutis partes pilis obsitae, quod nasum futurum continuo recrescentibus pilis dehonestant, ad translationem prorsus ineptae sunt. Necessarium denique est corporis partem eligere, e qua excisus lobus cutaneus quam commodissime curto naso adaptari possit. Quibus accuratissime perpensis, cutem brachii in bicipite musculo positam, quae Taliacotio etiam praestare videbatur, istis sub conditionibus maxime ad usum conferre, haud difficile est intellectu.

1) Taliacotius de Curt. Chirurg. Lib. I. Cap. 13 14.

§. 63.

Aegroti praeparatio [1]), quum ad prosperum operationis successum plurimum faciat, maximi omnino momenti est. Qualiscunque malus corporis habitus sollicite removendus est, valetudo, siquidem nasus non nisi in corpore sanissimo [2]) restituitur, optima sit.

Pridie operationis diem aeger conveniente aliquo medicamine (i. e. temperamento (constitutioni) ipsius acommodato) purgetur, et vena, ne inflammationis timor subsit, secetur necesse est.

§. 64.

Lobi cutanei in brachio conformationem [3]) Taliacotius, ne nutritionem derepente diminuat, duabus solum incisuris incipit, parallelis, quarum mutuum intervallum transponendae partis latitudini exacte respondet. Qua operationis in parte, cutem, donec cum facie committatur, magis minusve corrugari, ac ipsa nonnunquam ex octava, vel etiam sexta et quarta parte diminui, curate observandum est. Fieri enim potest, ut ambitus ratione negligentius habita, solo hoc errore cutis lobus minor evadat, tota itaque operatio successum non habeat. Facta igitur partium quae in naso desunt mensura, cutis lobus ita ut maior potius non multum quam pilo minor efformetur, demetiendus est, quandoquidem lata in brachio cicatrix nullam molestiam affert, minor vero et deformis nasus et perpetuum aegroto dehonestamentum et chirurgo opprobrium est.

Quo exactius cutis incidi possit, aeger, brachio, ne medicus impediatur commode extenso, in lecto supinus porrectusque cubare iubetur, et ministri iuxta positi tum antibrachium tum humerum sustentant. Quibus rite institutis, cutis in musculo bicipite posita, in plicam longitudinalem adducta, forcipe [4]) ad id facto comprehenditur. Huius ferramenti brachia non in apices, sed transversas in laminas desinunt, longitudine qua totam cutis plicam commode amplecti possint. Media utraque in lamina excisura est ab altero fere fine ad alterum producta, longitudinalis, ad marginum cursus directa, parallelogramma. Quo igitur forcipe comprehensa neque fortiter compressa, quod damnum affert, cutis plica, magis magisque adducitur. Quae si satis adducta videtur, forceps alterius manubrii annulo mobili, in serram alterius implicando clauditur, claususque attento ministro ad retinendum traditur. Medicus tum scalpellum acutum anceps per ambas laminarum excisuras, inter quas adducta cutis plica retinetur, vulnus ab altero laminarum fine ad alterum producendo, transfigit, linteolumque satis magnum per factam incisuram statim transmittit. Iam demto forcipe, complanataque cutis plica, duae

1) L. m. l. Lib. II. Cap. 2.

2) Cf §. 10.

3) Taliacotius de Curt. Chirurg. Lib. I. Cap. 15. — II. — 4. 5. 6. 7. 9.

4) L. m. l. Icon. I. A. II. A.

incisurae animadvertuntur longitudinales, paralleli, per quas transmissum linteolum cutem a subiacentibus musculis seiungit. Superimpositis tandem linteolis complicatis, partibusque aptis ligamentis obtectis, aeger in lecto detineri iubetur, eiusque brachium in pulvinari molliori collocatur.

Leviora post cutis incisionem sanguinis profluvia tamquam convenientissima futurae inflammationis remedia, prorsus non cohiberi debent, sin autem sanguis abundantius effluit, leni secundum Taliacotium pressione succurrendum est, fascia ab humero deflexa efficienda. Quae si nullum effectum exseruit, adhibenda est vel bolus Armenia, vel sanguis draconis, vel gluten Galeni [1]), vel cortex hippocastani subtilem in pulverem redacta et inspergenda, una cum propinandis medicaminibus fortiter adstringentibus.

Si, quod fieri solet, nulla sanguinis profluvia excitantur, quae peculiarem sibi medelam exposcant, methodo satis cognita, ne cutis lobus male afficiatur, inflammationes praecavendae sunt. Simili ratione, ne vulnus aliquo modo irritetur, quarto demum die ligamenta mutanda sunt, quo die linteolum novum unguento utrinque illitum transmittitur. Postea bona suppuratio qua cicatrix inducatur utique provocanda est.

Quem ad finem quae in vulnere ponuntur et linamenta et linteola medicamentis pus moventibus v. c. simplici oleo, vel cera oleo mixta, vel, sicut res exigit, unguentis irritantibus resinosis [2]) illinantur, brachiumque aptis integumentis coopertum percalescat.

Coorta salutari suppuratione, quo citius cicatrix confirmetur, vulnus medicamentis exsiccantibus v. c. unguento vel cerussae vel zinci [3]) linamento illito deligandum est. Haec simplicissima vulneris curatio usque ad decimum quartum post operationem diem continuanda est, quo tempore aliqua certe cutis intumescentia et cicatrix marginibus inducta animadvertitur.

§. 65.

Lobi cutanei conformatio incisura transversa, qua tertius margo fit, propius ad finem advehitur.

Postquam excisa cutis pars inflammationis periodum prospere superavit, amissaque

1) Rp. Aloës, Thuris, Mastiches aequas portiones. Excipiantur ovi albumine. S. Gluten Galeni. Taliacotius de Curt. Chirurg. Lib. II. p. 19.

2) Rp. Terebinthinae lotae ex rosacea unc. v. Olei rosarum compositi unc. j.
Addatur cerae albissimae quod par fuerit his omnibus excipiendis, et ex arte conficiatur unguentum.
Rp. Olei communis unc. jx. Cerae purae unc. jj. Colophonii, Picis navalis, sagapeni sing. unc. j. Mastiches, Thuris, Galbani, Terebinthinae sing. unc. v.
Ubi oleum cum cera ad ignem probe liquata fuerint, iniiciatur colophonium primum, deinde pix navalis, sagapenum, terebinthina, mox et reliqua, et refrigerata recondantur. — Hoc unguentum Taliacotius tempestate frigida illi praefert.
Cf. Taliacotius de Curt. Chirurg. Lib. II. p. 14.

3) Rp. Cerae albae, Olei rosarum sing. Lib. V. Succi fructus solani sat. unc. jv. Plumbi usti et loti, Pompholygis sing. unc. j. Thuris puri unc. v.

nimia laxitate firmior omnino et solidior facta est, aptiori iam et nutritione et temperatura, marginibus denique, quod circiter diem decimum quartum fieri solet, cicatrice inductis, tum demum, nec sane prius, tertium latus sive apex, quem Taliacotius nuncupat, i. e. superior lobi humerum versus commissura incidenda est.

Quod commodissime peragi potest, si modo, servata illa aegrotantis positura, quae quum longitudinales incisurae fierent, optima videbatur, medicus, transmisso per utrumque vulnus specillo, cutis habenam de subiacentibus musculis sustulerit, sinistrae indicem inter cutem musculosque immiserit, et cutem satis adductam, extrinsecus imposito pollice retinuerit. Cutis enim sic de subiacentibus partibus sublata, et quantum satis visum est adducta, inde ab altero incisurae longitudinalis angulo usque ad alterum ductu scalpelli transverso fortiori sine ullo impedimento inciditur atque separatur.

Sic efformato tertio latere, lobus de subiacente cruda facie caute detractus, partem adhuc cohaerentem versus, igitur ad cubiti regionem deflectitur, et sanguinis e vulneratis partibus profluvium medicamentis antea commemoratis [1]) haud cunctanter cohibetur. Quibus rite administratis, tota cruda brachii facies linteolis obtecta seorsum deligatur, et cutis lobus, qui usque eo reflexus dependit, linteolis tepidis undique circumdatus placide leniterque in pristinum positum reclinatur, quo fascia lintea, haud arcte circumvoluta retinendus est.

Quod vero ad curationem post adaptata ligamenta secundariam pertinet, cavendum est, ne vehementior lobi inflammatio cooriatur, neque crudis ipsius in partibus suppuratio deterior evadat. Quem ad finem primum omnia quae iam post factas incisuras longitudinales [2]) adhibita sunt medicamenta, deinde, coorta suppuratione, unguenta exsiccantia in usum vocanda sunt. Sin autem cutis lobus marcescere visus fuerit, externa eius facies vino calido subinde fovenda erit; praesens etiam auxilium perfrictiones ex oleo vel Chamomillae vel Anethi vel Liliorum alborum ferent.

§. 66.

Quonam tempore excisus e brachio lobus cum curto naso committendus sit, prolixe a Taliacotio [3]) nostro traditur. Quatuor omnino distinguuntur, quas excisus tribus lateri-

Coquatur oleum cum solani succo ad illius consumtionem, tunc adiiciatur cera, qua liquata addantur ceterarum rerum pulveres, iique tenuissimi. Subigantur in mortario omnia et ad unguenti formam reducantur.

Rp. Lapidis calaminaris, Terrae Lemniae sing. unc. jv. Lithargyri aur. Cerussae sing. drachm. jjj. Succi sempervivi drachm. jj Cerae unc. v. Olei rosarum omphac. Lib. j.

Misce et secundum artem reformetur unguentum.

Cf. l. m. l. p. 27.

1) Cf. §. 64.

2) Cf. l. m. l.

3) De Curt. Chirurg. Lib. II. Cap. 7. 9. 10.

bus lobus percurrat evolutionis periodi. Quarum prima, quum lobus humidus, debilis, mollis sit, nec ullum vel exsiccationis vel cicatricis signum observetur, cum aetate infantili comparatur. Altera aetas, iuvenilis, et habitu humido et mollitie diminutis signisque confirmatae cicatricis conspicua est. Tertia, aetas virilis, cicatrice latius inducta ipsa excisae partis textura solidiori, nullaque iam humiditate dignoscitur. In quarta demum periodo, sive aetate senili, tota interna lobi facies cicatrice inducta apparet, soliditas eius maxime confirmata, et humorum inopia fere nimia est. Lobus in basi arcte contractus et transversis plicis corrugatus, quum laxius adhaereat iam non satis nutritur, collabitur ipse et contabescit.

Quarum lobi cutanei inde a primae incisionis tempore mutationum ratione habita, leges quasdam constituendas esse, quibus tempus quo lobus cum curto naso committendus sit, exacte diiudicetur, per se patet. Lobum statim post primas incisuras, infantili scilicet ipsius aetate committere, quod, quum vita non satis praeditus videatur, et sanguinis profluvia aeque ac inflammationes impedimento sint, certo gangraena absumitur [1], periculosum est. Haud meliores spes iuvenilis aetas subiicit, quandoquidem cutis lobus parum firmus et humoribus abundans, nondum penitiori vita gaudet, qua varia translationis incommoda sustinere possit, neque suppuratione consumatur. Senilis aetas, quum multis rationibus, tum praecipue ea parum idonea videtur, quod cutis nimis solida, corrugata, pallida, humoribusque perinde ac viribus destituta, difficilius solidescit. — Virilem itaque aetatem, qua lobus et solidior, et vi vegetativa satis omnino praeditus est, aptissimam esse, qua iste committatur, clare elucescit. Tempus quidem, quo aetatis virilis signa, continuo adhibitis convenientibus medicamentis [2]) compareant, maxime varium est, plerumque tamen praeterlapsis post factam incisuram transversam duabus, quatuor [3]) itaque hebdomadis post longitudinales, lobus ad committendum aptus videbitur.

§. 67.

Quo tempore, ut lobus committi possit, curtus nasus primum apte vulnerandus est [4]). Ne tamen mala aliqua corporis dispositio molestiam afferat, alvus, priusquam operatio fiat, nisi sponte soluta est, clysmate ducatur. Maxime necessarium est capillos tondere, ne brachium, postea fasciis ad caput deligatum, vel facilius delabatur, vel nimium calorem moveat. Fieri etiam potest, ut, quum longiori temporis spatio caput extergere non liceat, facillime nascantur pediculi, quibus excruciati aegrotantes brachium

ferr

1) Cf. l. m. l. Lib. II. Cap. 7. p. 22.

2) Cf. §. 64.

3) Quod minus dilucide traditur.
Cf. Taliacotius de Curt. Chirurg. Lib. II. Cap. 9. p. 26. Cap. 10. p. 32.

4) L. m. l. Lib. II. Cap. 11. 12

fere involuntario dimovent. Pari modo barba priusquam operatio fiat, novacula dematur necesse est, quo facilius et sanguis et pus de facie detergeri possint. Supellectile tandem curatissime parata, operatio horis matutinis facienda est. Hoc enim tempore aegri et alacriores sunt et optime valent.

Primum braccas aegrotus, tum tunicam cum cucullo [1]), quibus brachium retineatur induere iubetur, deinde, ne sanguis vestimenta inquinet, pectore, dorso, humeris linteo contectis, rectus in sedili ponitur, ne sanguis durante operatione in oris cavum profusus molestias afferat. Minister qui caput retineat, pone aegrotum, chirurgus ex adverso consistit.

Nulla facta delineatione ad quam cultellum dirigatur, quod atramentum profluente sanguine facillime obliterari potest [2]), chirurgus immisso in nasi cavum extremo indice laxiores curti nasi parietes adducere cultellique ductibus aptiores reddere conatur. Tum curti nasi margines non nimia quidem ex parte resecentur, quod, quum haec operationis pars facile vehementissimos dolores excitet, supervacuos aegroto cruciatus affert, ita tamen incidendo, ut sanguis omnibus e vulneratis partibus aequaliter profluat satis complanentur necesse est. Quem ad finem cultello utimur vel recta acie vel convexa, quatenus haec vel illa usui magis conferre videatur. Ubi cartilagineae partes cultello nonnisi difficilius resecari potuerint, ibi forfex satis firma adhibenda erit.

§. 68.

Vulneratis nasi marginibus, lobus accommodatur [3]). Quem ad finem detersis prius marginibus, schedula mensoria ad formam restituendi nasi accuratissime exciditur, excisaque apte directa in lobo ponitur, ut tantum cutis de margine ipsius resecari possit, quantum, marginum modo descriptorum ratione habita, ad nasum convenienter efformandum confert. Quo commodius vero mensurae, ad quam maxime interesse per se patet, errores evitari possint, brachio ad faciem admoto, et vulnerato lobo ad curtum nasum accommodato, oculi curate circumferendi sunt, an partes sibi quam exactissime respondeant, quas si minus congruere visum est, scalpello iterum atque iterum admoto, donec partes sibi respondeant, prominentes particulae resecentur. Ipsae incisurae, quod, quum lobus sensu fere destitutus sit, haud magnos aegrotus dolores conqueritur, non nimis festinandae, curatissime potius, ut res exigit, perficiendae sunt. Crudis denique lobi cutanei marginibus ad curtum nasum convenientissime efformatis, nihil quo minus sutura immittatur obstat.

1) Exactius descripto Sect. VI. §. 156—162.

2) Taliacotius de Curt. Chirurg. Lib. II. p. 40.

3) Cf. l. m. l. Lib. II. Cap. 12.

§. 69.

In conficienda *sutura* [1]) duabus pro singulis filis punctionibus, altera in curto naso, altera in cutis lobo opus est, iisque ita dispositis, ut tam a marginibus pari latitudine, quam singulae a singulis pari intervallo recedant. Ambas itaque punctionum series fieri, quarum utralibet marginis cursum sequatur, facile intelligi potest. Ne dubium relinqueretur, Taliacotius operi figuram [2]) adiecit, quam, licet mutatam aliqua ex parte (Tab. IV. Fig. I.) lectoribus tamen exhibere non dubitavimus. Sit centrum in nasi apice (*a*), unde circumscriptus circulus primus lineam in naso repraesentat, qua curti nasi lobique cutanei margines inter se committendi sunt; alter (*c*) et tertius (*d*) huic paralleli, et in figura punctiunculis notati, punctionum series, alter (*c*) in curto naso, alter (*d*) in cutis lobo exhibent. Cum vero extremi maioris circuli (*c*) radii (*e f g*) magis quam in minori (*d*) inter se distent, lobi quam curti nasi punctiones multo sibi propiores esse debere, per se patet.

Priusquam ligaturae sicut antea praeceptum est, immittuntur, necessarium est cucullum [3]), quo brachium retinebitur, inducere, ac frontem fascia circulari circumdare. Quibus peractis, fila lintea, tenacissima in acus rectas triangulas [4]) coniecta, primum per cutis lobum, deinde per curtum nasum transmittenda sunt, et eo quidem ordine, quo acu medium lobum cum medio curto naso comittente, primum transfixa, ceterae ligaturae laterales iusto intervallo una post alteram immittuntur. Transfixae acus, quo promtius postea, quum filo adstringuntur, inveniri possint, statim in frontis fasciam secundum ordinem infigendae sunt. Omnibus suturae filis hoc modo immissis, aeger, ne postea durante operatione moveatur, porrectus in lecto decumbere iubetur. Tum brachio ad faciem propius admoto flexoque cubito, manus digito medio ad angulum lambdoideum converso, ut antibrachium frontem attingat, metacarpo medio in vertice ponenda est. Sic lobo ad curtum nasum accommodato, dum ministri flexum brachium firmiter retinent, primum, fila, ne extremitates ipsius cum ceteris permutentur leniter utralibet adducto, media ligatura adstringitur, deinde, contracto duplici nodo, filum prope hunc resecatur. Superest, ut laterales ligaturae perinde ac media, ordine qui maxime convenire videatur, adstringantur. Partibus tandem sutura quam accuratissime comprehensis, turundae albumine diluto succidae in nares immittuntur, brachium cum manu, ne moveatur, tunicae cucillique [5]) fasciis religatur, et aeger quieti mandatur. Postremo vulnera linteolis in albumine diluto tinctis, iisque tam saepe renovandis, ut neque partes incalescant, neque humoribus abundent, contegendae sunt.

1) L. m. l. Cap. 11. 12.
2) L. m. l. p. 44.
3) Cf. Sect. VI. §. 156—162.
4) Taliacotius de Curt. Chirurg. Icon. VII. A. A. A.
5) Cf. Sect. VI. §. 158—161.

§. 70.

Curatione post immissam suturam secundaria [1]) partium consolidationi omnimodo subveniendum est. Quae translatae cutis parti superimposita sunt et linamenta et linteola, ea, praesertim durante inflammatione saepius renovanda, illa vero priusquam detrahantur, ubi arescunt satis humectanda sunt. Externa lobi in facie, omnibusque commissurae in partibus medicamenta quae et suppurationem coërceant, et marginum consolidationem adiuvent, adhibenda sunt. Haec *Glutinantia* Taliacotius nuncupat. Quorum e numero palmarum, ulmi, salicis cortices, hederam, anagallidem, cyparissiam, centaurium nominasse sufficiat. Interna in facie medicamentis iam in exposita lobi brachialis curatione [2]) laudatis suppuratio primum excitanda, deinde cohibenda est.

Profusius suppurantia foramina, ne vicina cutis consumatur, subtili pulvere e myrrhae et thuris partibus aequalibus mixto conspergenda sunt.

Quae secundaria lobi curatio usque adeo adhibeatur, donec margines, quod vel tertio vel quinto post immissam suturam die fieri potest, perspicue solidescant. Quodsi factum est, sutura pedetentim eximatur. Primum vero eas suturae ligaturas eximi debere, quae perfectam margines ad consolidationem adegerint, quod diutius relictae latiora ulcera excitant, molestiores itaque cicatrices inducuntur, haud difficile est intellectu. Qua margines haud perfecte coïerunt, ea ligaturae servandae, partesque suppurantes glutinantibus medicamentis iam antea recensitis deligandae sunt. Ita tandem fit, ut circiter diem quintum vel sextum vel septimum etiam, omnia suturae fila eximantur. Taliacotius se nunquam ultra septimum diem, quod margines usque eo semper perfecte consolidati fuerint, suturam servasse asserit. Sutura exemta, foramina suppurantia linamento unguento zinci illito usque ad diem decimum quartum, quo die et omnis suppuratio evanuerit, et omnes cicatriculae confirmatae fuerint, deliganda sunt.

Victus post immissam suturam sit refrigerans. Exhibeatur cibus levissimus, facile concoctilis, liquidus potius quam solidus, ne faciei musculi commissas partes inter manducationem facilius adstringant atque distendant. Plurimum conferunt iuscula e succo granorum melonis confecta, addita panis medulla trita et sacchari nonnihil. Sorbitio sit vel hordei decoctum dulce, vel aqua acetosae admixto saccharo. Quarto demum die pullorum iusculum exhibeatur. Vino penitus abstinendum est. Alvus quotidie secedat; sin adstricta est, remediis leniter refrigerantibus, v. c. oleosis, vel lacte asinino admixto ovi vitello, melle diluto et sale non multo mollienda est. — Prima post operationem hebdomada, ne partes distendantur, prorsus quiescendum est. Postea, si libet, de lecto surgant, suffultique in cubiculo placide leniterque spatientur. Ipsum cubiculum, tempe-

[1]) Taliacotius de Curt. Chirurg. Lib. II. Cap. 13. 14.
[2]) Cf. §. 64.

statis anni ratione habita, hyeme orientem, aestate occidentem vel septentrionem versus positum sit.

Cetera Taliacotii praecepta ad singula quae accidere possunt symptomata pertinent. Vigiliae lacte, in quo papaveris semen decoctum sit, vespera sumendo, et unguento e populi gemmis confecto, quo tempora perfricentur, curandae sunt, vel si haec minus profecerint, protinus ad opium confugiendum est. Ardentior sitis vel simplici frigida explenda, vel acetosae foliis aqua imbutis, vel cucumerum recentium segmentis, quae in ore retineantur, restinguenda est. Prodest quoque aqua acetosae cum saccharo, syrupus citri, mali Sinici succus. Caro interna in facie, quae usque ad quadragesimum diem suppurare solet, luxurians, turundis unguento apostolorum [1]) illitis coërcenda est. Si margines hic illic non solidati sunt, qua dehiscunt, ea iterum sutura committantur. Si consolidatio nusquam successit, licet vehementissimi dolores excitentur, necessarium tamen est, et margines iterum vulnerare, et vulneratos iterum sutura comprehendere, sicut antea demonstravimus.

§. 71.

Partibus penitus fere consolidatis, lobus de brachio resecandus est [2]). Sin prius resecatur, quam ita cum novo solo coaluerit, ut satis omnino nutriatur, fieri potest, ut facilius et marcescat et consumatur. Saepius quidem die post immissam suturam decimo quarto partes ita coaluisse videntur, ut lobus resecari possit, quod aestate quam hyeme frequentius observatur, nonnunquam tamen ad diem decimum septimum usque et diutius opperiendum est, ita tamen, ut lobi incisionem ultra diem vicesimum differendam fuisse, observationes desint. Ipsa lobi de brachio resectio ita facienda est, ut, solutis prius quae manum in capite retinent ligamentis, donec ministri brachium curate suffulciant, dextra lobum cutaneum, sinistrae pollice et indice comprehensum, cultello ipso fere in brachio transcindat. Cruda lobi adhaerentis pars medicamento e bolo Armenia, sanguine draconis et albumine composito, cuius iam antea mentionem fecimus [3]), protinus obducenda, et cetera ipsius parte linteolis calefactis repleta, totus nasus fascia accipitri haud absimili, ut agglutinatus lobus satis retineatur, deligandus est. Donec id peragitur, ministri brachium placide demittant, demissumque iisdem medicaminibus, quorum in primo operationis actu usus fuit, obligent.

1) Unguentum Apostolorum secundum Pharmacopoeam Galenicam (Pharmacopée Galénique. Paris, 1682. p. 686., hoc modo paratur:

„Prenez quatre onces de cire jaune, de la résine, de la térébinthine, de la Gomme ammoniaque, de chacune quatorze gros, neuf gros de litharge d'or, de l'Oliban de l'Aristoloche ronde et du Bdellion de chacune six gros, de la myrrhe et du Galbanum de chacun demie once, de l'Opopanax, du vert de gris de chacun deux gros et deux livres d'huile commune, pour composer cet Onguent artistement. S. Onguent des Apôtres.

2) Taliacotius de Curt. Chirurg. Lib. II, Cap. 15. 16.

3) Cf. §. 64.

Ceterum opus esse, ut agglutinatus cutis lobus ipso fere in brachio resecetur, ne minor et parum aptus omnino evadat, facile intelligi potest. Sin autem naso adhaerens cutis lobus longior inter edendum aeque ac loquendum molestiam affert, quod tamen rarissime fit, quum ipsam inter curationem secundariam magis etiam contrahatur, plus confert supervacuam cutis partem resecare, quandoquidem exigua ipsius cum facie commissura haud apte nutriri potest. Quod vel ipso quo lobus transcinditur die vel serius fiat, cavendum tamen est, ne inter curationem cutis deficiat. Naribus continuo turundae immittendae sunt, medicamentis exsiccantibus oblitae, quorum praecipue unguentum zinci laudatur. Crudae lobi partes proximis hebdomadis initio medicamentis pus moventibus [1]), deinde exsiccantibus curandae sunt. Diversa ceterum hyeme, diversa aestate externa lobi in facie medicamina ponantur. Aestate enim linteola in vino Cretico calefacto tincta magis conferunt, quorum vis excitatrix moschi optimi granis quinque in vini libra dimidia digerendo solutis utplurimum augetur. Serius cicatrix unguento saturnino et betae oleo quo perfricetur emollienda est corrigendaque. Hyeme partes initio non vino, sed spiritu vini foveantur. Sin autem vinum adhibere magis placuerit, huius vis admixtis medicaminibus aromaticis [2]) augenda erit. Pari modo quibus serius utendum est unguentis saturninis, ea, perinde ac hyeme magis omnino excitandum est, remediis cutis vitam concitantibus, calefacientibus [3]) misceantur. Praeterea lobus fasciis ita figuretur necesse est, ut et infima ipsius pars labium versus magis magisque detorqueatur, et margo, quo facilius postea septum narium confirmari possit, ubi transverse adaptandus est, sensim et pedetentim elevetur. Cavendum tamen est, ne, quum ligamenta fortius adstringuntur, partis agglutinatae vita, scilicet per se tenuissima, penitus evanescat. Quae exacta partium curatio usque adeo donec nares efformentur, igitur usque ad diem post resectum lobum decimum quartum continuanda est. Etenim cutem insitam, priusquam cum curto naso penitius coaluerit, et novae nutritionis rationi consueverit, denuo cultello aggredi, periculosum est. Victus post proximam operationem liberalior quidem, non tamen abundantior exhibeatur, ne nimiae humorum congestiones fiant. Iam vini non multum, nisi aegroti constitutio adversatur, propinari potest. Denique aër frigidus, praesertim hyemalis, curatissime defendendus est.

§. 72.

Ipsa narium conformatio [4]) quam ante diem post resectum lobum cutaneum deci-

1) Cf. §. 64.

2) Rp. Vini Cretici lib. jj. Oliban. Styrac. liq. aa. drachm. j. Adipis asini drachm. jj. Infundantur omnia per noctem in vino Cretico, deinde bis ebulliant, mox colentur et colata serventur.

3) Rp. Galbani, Opopanac. Thuris, Aristoloch. long. Mastich. Myrrhae aa. unc. j. Ammoniac. unc. j. s. Lithargyr. aur. Ol. commun. aa. unc. xvjjj. Bdellii drachm. jj. Lapid. calaminar. — haemat. aa. unc. j. Ol. Absinth. unc. jjj. Terebinth. Lib. V. Ol. Rosar. unc. j. Redigantur in pollinem tenuissimum quae redigenda sunt et Gummi aceto solutis cum cera s. artem reficiatur ceratum.

4) Taliacotius de Curtor. Chirurg. Lib. II. Cap. 6.

mum quartum haud fieri debere e traditis constat, magnam accurationem exigit. Primum, quo aptior et narium et septi figura evadat, quae excidantur partes pigmento vel rufo vel nigro delineandae sunt. Pars nasi fere perpendicularis, inde a fronte usque ad apicem, trientalis plerumque faciei longitudinis est. Partis horizontalis inde ab apice usque ad extremum septum longitudo labii superioris altitudine plerumque exacte respondet. Partem igitur hac ambitus ratione et perpendicularem et horizontalem accurate demetiendo, cutis necessariae non solum universam longitudinem, sed locum etiam, unde nares incipiant facili negotio invenire licet. Quo constituto, nares forma ovata et ita quidem delineandae sunt, ut, quum partes ipsarum angustiores antrorsum latiores retrorsum pertineant, iustum septo spatium relinquatur. Negligendum vero non est, septum inter curationem et latitudine et longitudine haud mediocriter contrahi, unde, quantum collapsurum sit, tantum in delineatione addendum esse, facile intelligi potest. Quodsi septum latius efformatur, minus nocet, quum supervacua cutis serius resecari possit, sin autem angustius, vitium insanabile remanet. Nares sic delineatae cultello adunco et acuminato, ductu in septi finibus exacte transverso, in alarum nasi finibus obliquo, sursum introrsumque converso excidendae sunt. Cultellum iuxta septum utrinque transverse immittendum esse ex eo patet, quod, ne nutrimentum parti deficiat, latera minora omnino efformanda sunt. Contra oblique in alarum finibus quod margines dum sanescunt, non multum introrsum reflectuntur, quo et lenior curvatura fiat et cicatrix facilius operiatur, necesse est. Excisis partibus ovatis et conformato septo, nasus, perinde ac prius factum esse diximus [1], et deligandus et curandus est omnino. Cavendum tamen est, ne septum iam transverse applicatum, fasciis linamentisque retentum, nariumque turundis interpositum fortius comprimatur, quo nutritionem praepediri haud difficile est intellectu. Necessarium quoque est, quum abundante puris profluvio facile fieri possit, ut crudae partes difficilius sanescant, nares, quoties ligamenta renovantur, linamento detergere, ipsa etiam vulnera, si res exigit, bis die obligare. Saepius internam nasi faciem nimis luxuriare observatur, quo, quum nasi cavum haud mediocriter diminuatur, respiratio molestissime impeditur. Symptoma certe gravissimum, quod peculiarem sibi medelam exposcit. Etenim caro luxurians quoties apparet, toties resecanda, et imposito zinci unguento, quantum fieri potest, coërcenda est. Quae curatio, licet vehementes dolores excitet, usque adeo tamen continuanda est, donec et caro luxuriare desierit, et nasi cavum satis amplum evaserit. Hoc tempore quodvis irritamentum aptis totius nasi integumentis accuratissime defendendum est. Quod vero ad vitae et victus rationem pertinet, aegrotus iam liberius degere et ipse in publicum progredi potest. Victus exhibeatur liberalior, nasus vero a quibuslibet tempestatis incommodis omnimodo defendatur. Sic tandem perfectae et marginum et facierum crudarum cicatrices, quae sicciori in corpore et aestate praesertim serena iam tertia plerumque hebdomada, in corpore

1) Cf. §. 64. 71.

pituitoso serosoque et humida hyemis tempestate octava demum hebdomada vel serius etiam confirmari solent, expectandae sunt.

§. 73.

Excisis naribus septum non protinus sutura comprehendendum est [1]), nisi (quum cicatricem internae nasi faciei difficilius induci, tum carnem luxuriantem minus tuto resecari posse volueris. Praeterea perfectas, quas vel tertia vel octava hebdomada confirmari cicatrices modo traditum est, ideo praesertim expectandas esse, quod septi cutis, dum sanescit, haud mediocriter collabitur, nasi itaque apex, si haec praepropere commissa est, deorsum introrsumque adducitur, facile omitti potest.

Septi sutura vulnerandis qui inter se committantur marginibus incipienda est. Quem ad finem aegrotus in cubiculo satis lùcido in sella considere eiusque caput a ministro qui pone sellam constitit retineri iubetur. Ubi septum aliqua ex parte ita servatum est, ut suturae idoneum videri possit, servata de parte quantum satis est forfice ossibus frangendis resecandum est. Sin autem nihil servatum est, Taliacotius forcipem ad id factum, forfici ossibus frangendis, cuius acies obtusae sunt, haud absimilem in nasi cavum immittit, immissumque et apertum ad partem quacum septum committendum est, ita apprimit, ut cutis, forcipis brachiis interposita in collem assurgat. Quae si satis assurrexisse visa est, forcipis manubria annulo mobili, ad id facto, claudantur et prominens cutis pars cultello adunco resecetur.

Deinde, stato sanguinis profluvio, tantum de extrema cutis habena, e qua septum conficiatur, resecandum est, quanto opus est, ut cruda quae sufficiat facies efformetur. Septo longiore viso, supervacua pars eodem scalpelli ductu, cautissime tamen, ne cutis postea deficiat, resecari potest.

Partibus apte vulneratis, sutura protinus immittenda est. Taliacotius acum curvam [2]) adhibet, quam dextra comprehensam iuxta inferiorem crudae in curto naso faciei marginem immissam, subter fundum vulneris transmissam transfixamque pone vulneris oppositum marginem, sinistrorsum conversam, ne partes laedantur, extrahit, tum septum digitis firmiter retentum iusto a marginibus intervallo per longitudinem transsuit, deinde detracta acu et accommodatis partibus fila in duplicem nodum satis arcte contrahit, partesque ipsorum supervacuas forfice resecat. Quibus peractis iisdem plane medicamentis utitur, quae in ceteris suturis conferre antea commemoratum est [3]). Immissis igitur in nares turundis, linamentum subter septum ponit, quo suffulciatur, aegrotum vero diem in lecto detineri et parciori victu uti iubet.

[1]) Taliacotius de Curtor. Chirurg. Lib. II. Cap. 17.

[2]) L. m. l. Icon. XII.

[3]) Cf. §. 69. 70.

Quarto plerumque die vel mane vel vespera etiam septum prospere consolidatum esse animadvertere licet. Quodsi factum est, sutura eximatur. Ceterum ad penitus confirmandam cicatricem adhibenda esse, quae hunc ad finem plurimum facere diximus medicamenta, iam satis constat. E quorum numero efficacissimam est zinci unguentum, quo continuo adhibito penitus confirmata cicatrix vel sexto, vel septimo, vel hyeme decimo die expectari potest.

§. 74.

Conformatio nasi progrediens [1]) aestate die post consolidatum septum decimo quarto, hyeme vicesimo incipienda est. Ceterum opus esse, ut agglutinata pars, quo aptior eius figura evadat, diutius curetur, facile intelligi potest. Remedia quae ad hunc finem adhibentur, partim mechanicos, partim chemicos effectus exserunt. Illa, tamquam efficaciora, primum, haec deinde recensere liceat.

§. 75.

Ad mechanica conformandi adminicula tubuli pertinent atque tectoria. Tubuli [2]) initio plumbei, et quando partes pressioni consueverint, vel aurei vel argentei adhibeantur. Sint conici et utrinque non multum compressi, margine inferiori, qui nasi marginibus respondeat, paullulum reflexo. Necessarium est tubulos varia magnitudine, quod primum minores, deinde maiores immittendi sunt, paratos habere.

Secundum locum tectoria [3]) obtinent, quae immissis in nares tubulis, toti naso superimponantur. Sint initio, perinde ac tubuli, plumbea, deinde vero vel argentea vel aurea, ad nasi conformandi archetypum exactissime figurata, et tantae omnino capacitatis, ut nasum tam ubique obtegant, quam totum eius dorsum apprime contingant. Infima in parte duas aperturas habeant ad formam tubulorum, ne respiratio gravetur, exacte figuratas. Externa in facie quatuor annuli sint, excipiendis funiculis, quibus immissis et partim frontem, partim aures vel supra vel infra in occiput traductis inque nodos contractis tectorium retineatur. Hyeme, quo facilius gelu defendatur, tectoria vel panno laneo subtiliori, vel serico vel linteolo muniantur. Ceterum et tubulos et tectoria frequentius commutari Taliacotius praecipit, quare bina saltem tectoria et quaternos tubulos habere necessarium videatur. Quo vero diutius aegrotus his adminiculis usus fuerit, eo decentior omnibus numeris nasus evadet, quare vel duos ad annos hanc curationem produxisse plurimum conferet. Quodsi minus licuerit, tectorium sub finem huius temporis noctu saltem

1) Taliacotius de Curt. Chirurg. Lib. II. Cap. 18.

2) L. m. l. Icon. XIII.

3) L. m. l. Icon. XIV.

saltem adhibendum erit, nisi nasum rudius figurari volueris. — Tempore quo adminiculis iam non opus est appropinquante, reiicienda quidem sunt tectoria, servandi tamen tubuli, qui quum naribus immissi ligamentis retineantur haud necesse sit [1]), nullam prorsus molestiam afferunt. Praeterea diutius adhibita adminicula aptiorem cum naso formam communicare, extra omne dubium est.

Haud minus ad mechanicam nasi curationem laminarum plumbearum usus pertinet, quae locis prominentibus imponantur, neque tectoriis neque tubulis cedentibus. Denique, ubi res desperationem habet, ibi partes prominentes et excidi, et nova sutura comprehendi debere, facile intelligi potest.

§. 76.

Enumeratis conformationis adminiculis, ad chemica quae novum nasum meliorem faciant remedia transeundum est. Huc praecique apricatio pertinet, qua media aestate nasus calescat, quaque nihil citius pallentem lividamque cutem vegeto colore inducit.

Ad emendandas emolliendasque cicatrices plurimum varia fellis genera conferunt. Optimum est fel bubulum vel caprinum vel testudinis. Similes effectus perfrictiones ex oleo Behen et sevo asini exserunt. Quae si minus profecerint, statim ad mixtiones quasdam [2]) confugiendum est easque vel efficacissimas. — Habes succinctam Rhinoplastices Taliacotianae expositionem.

---

§. 77.

Norma, ad quam Italica methodus dirigenda est.

Novae Italicae methodi praecepta, quo facilius prisca ab incrementis arti nasum conformandi novissime allatis dignosci possent, seorsum a nuda antiquae methodi expositione tractanda esse iudicavimus. Verum quanto dilucidior hoc modo singulorum enarratio fieret, tanto magis ad propositum conferre videbatur, prisca praecepta simul curatius et recensere et diiudicare, nisi quis omnes fere operationis partes temerario novandi

[1]) Quod novis experimentis haud comprobatum est.

[2]) Rp. Aquae vitae quarto destillatae Lib. V. Sem. Erucae, Lupinor. aa. drachm. jj. Radic. Rutae drachm. j. Medullae panis albiss. Nr. j. Album. ovor. Nr. IV. Macerentur per diem et noctem simul, et extrahatur liquor quem usui servare oportet, et leviter alternis saltem diebus cicatrici illinere.
Rp. Sevi asini, Mellis albi, Aquae ardentis, Lupinorum aa. unc. j. Aquae florum Fabarum unc. jjj. Macerato biduum et mox liquorem per alembicum extrahito. Verumtamen si hanc eandem aquam cerato ex cerussa adiiciamus, illud efficacissimum certe, et maxima laude dignum experiemur, et praesertim, si olei de been guttulas quasdam affundamus.
Taliacotius de Curt. Chirurg. Lib. II. Cap. 18.

studio audacissime emendatas, ne dicam interpolatas esse censeret. Habes regulas tota novae Italicae methodi in expositione accuratissime observatas.

Ceterum praecepta tradita, ut in omni chirurgica expositione [1]), sic et hic, non ad omnia, verum ad plurima exempla pertinere, peculiares itaque corporis habitus peculiares aeque modos sibi exposcere, generalibus vitae legibus prudenter a medico adhibendos, satis omnino constat. Verum, antequam ipsam ad expositionem nos accingamus, Italicam methodum, propria ipsius indole, qua cutaneus tradux pedetentim ad novum solum accommodatur, plures in partes, easque seorsum recensendas, quae plures perinde in actus dividantur necesse est, distribuendam esse, haud praetereundum videtur. Distinctos qui ita fiunt limites in singularum operationis partium expositione quo dilucidius omnibus numeris agendi methodus elaboranda videbatur, eo minus rescindendos esse putavimus.

A. Italicae methodi Pars prima.

Lobi e brachii cute conformatio.

Actus primus. — Praeparatio.

§. 78.

a) Aegroti praeparatio.

Etsi cutis lobus commodius plerumque e sinistro brachio conformetur, tamquam ad opus haud prorsus necessario, e dextro tamen, si modo huius cutis aliqua ratione praeferenda videatur [2]) perinde excidi potest. Constituto secundum praecepta iam prius exposita [3]) operationis tempore, cutis in musculo bicipite posita medicamentis spirituosis aromaticis [4]) ut excitetur, bis die leniter perfricanda est. Caveas tamen, ne vehementius tractata ad inflammationes proclivior evadat [5]). Pridie operationis diem aegrotus cibum vespera parciorem sumat eumque facile concoctilem. Ipso operationis die, postquam alvus mane clystere emolliente ducta est [6]), tres ante operationem horas Laudani liquidi Sydenhami guttae decem exhibeantur [7]). Pili ad totum brachii ambitum ne et scalpelli ductus impediant, et postea in commutandis ligamentis molestiam afferant, novacula accuratissime demendi sunt. Necessarium quoque est, indusii manicam, quo facilius brachium nudari possit, vel incidere, vel resecare, ne linteum arctius complicatum et cutem distendat, et dolores excitet.

Qui ad synochicas inflammationes proclives sunt aegroti, iis pridie operationem sanguinis non multum detrahendum est, quandoquidem lobus inflammatione correptus

[1]) Cf. §. 20. [2]) Cf. §. 9. [3]) Cf. §. 10. [4]) Cf. §. 20. [5]) Cf. l. m. l. [6]) Cf. l. m. l. [7]) Cf. l. m. l.

facillime absumitur. Nunquam vero eo in brachio e quo lobus excidetur, venam secandam esse, per se patet. Ceterum ut ad omnes graviores operationes [1]), sic ad hanc etiam aegrotus praeparandus est.

§. 79.

b. Supellectilis apparatus.

1) Ad delineandum vernicis coloratae non multum opus est, et penicilli aliquot minores [2]).

2) Ad incidendum scalpella duo, forma iam prius descripta [3]), forceps minutus et specillum fortius, nodulo haud subtili, vel spathula sufficiunt.

3) Quae ad sanguinem sistendum reficiendumque aegrotum in exponenda Indica methodo necessaria videbantur [4]), ea et hic praesto sint.

4) Ad deligandum pertinent:

a) Linteolum quo lobus a subiacentibus partibus disiungatur. Sit simplex, subtile, mollissimum et magnitudine pollicum sex in quadratum. Binis in lateribus iisque sibi oppositis terna utrinque fila sint lintea, fortiora, unum medium, reliqua duo ad extremum utrinque latus sine omni nodo assuta. Cuius linteoli margines quum inter cutem musculumque brachii bicipitem transmittatur, in limbum non comprehensi sint, ipsum quoque, antequam immitatur, multo unguento rosato utrinque illinatur necesse est. Totam fasciolam iam in brachio positam Tab. IV. Fig. 5. exactissime repraesentat.

b) Aliquot mappae ad contegendum aegrotum et detergendum sanguinem.

c) Sex ad octo penicilli (plumaceola) maiores, multo unguento rosato illiti, contegendis incisuris longitudinalibus.

d) Octo ad decem emplastri glutinantis taeniae, retinendis linteolis linamentoque.

e) Linteolum subtile septem pollices in quadratum habens, altera in facie multo zinci unguento illitum, operiendis vulneratis brachii partibus.

f) Fascia longitudine cubitorum quinque vel sex, tres digitos transversos patens, mollis et in unum caput convoluta.

g) Pulvinar oblongum, seta equina refertum, suffulciendo aegroti in lecto cubantis brachio.

h) Panni lanei pilosioris quantum sufficit involvendo toti brachio.

i) Specilla tria perforata quinque saltem pollices in longitudinem patentia.

Quae omnia ordine disponantur necesse est, quod, quum difficilius inveniantur, facile inter operationem detrimentum capere possunt.

[1]) Cf. §. 9. 10. 21. [2]) Cf. §. 23. Nr. 4. 5. [3]) Cf. §. 24. [4]) Cf. §. 25. 28.

§. 80.

Ministrorum institutio.

Ministrorum institutio ad praeparationes pertinet, quae absente aegroto fieri debent, ne animus eius perturbetur. Opus vero sunt quatuor ad hanc operationis partem. Quorum primus pone sellam aegroti consistere, humeros manibus complecti et brachium retinere iubetur, dum alter, qui ad antibrachii porrecti eiusque magis aversi latus extensorium constitit, manum et cubitum comprehendit suffulcitque. Tertius, ferramenta tractare haud ignarus, supellectilem ad perficiendam operationem subministrat. Quartus aegroti et recreationis et commodi satagit.

Actus alter.

Demensio, delineatio.

§. 81.

Antequam ipsam ad actus huiusce gravissimi, qui ad prosperum operationis successum plurimum confert, expositionem nos accingamus, praetereunda non est cutis proprietas, qua sensim et pedetentim in brevius contrahitur. Taliacotius cutis lobum usque adeo, donec committatur, ex octante, vel sextante, vel quadrante etiam diminui asserit [1]), quem tanto maiorem conformari debere, quanto inter curationem contrahatur, facile intelligi possit. Verum si peculiari corporis habitu singulae operationis partes nonnisi longioribus temporum intervallis locum habere possunt, fieri, ut cutis lobus magis etiam, et ipse e triente et semissi diminuatur, nostris certe observationibus extra omnem dubitationis aleam positum est. Quum vero singulas operationis partes brevioribus temporum intervallis fieri posse vix praesagiri queat, summum contractionis gradum inter delineandum supponere, et longitudini quam latitudini, scilicet utriusque ratione habita, plus adiicere, quod lobus post factam incisuram transversam superiorem in brevius quam in angustius magis contrahitur, melius omnino est. Quae quum ita se habere usus ostenderit, cutis lobum sex pollices in longitudinem et quatuor in latitudinem patentem excidere non dubitamus. Sic enim cutis defectum optime praecavere licet, tempore quo partes inter se committendae sunt, molestissimum, quo operationis eventum maxime dubium evadere, ne dignum quidem est, quod commemoretur. Sin autem, quum singulae operationis partes breviori temporis spatio locum habuerint, lobus maior omnino visus fuerit, supervacuae cutis partes facili negotio resecari poterunt.

Quod vero ad locum, quo cutis lobus e brachio excidatur, pertinet, musculi bicipitis regio potissimum eligenda est. Sin autem vicina quaelibet pars vel meliorem cutem

[1]) Cf. §. 14.

praebet [1]), vel commodiorem postquam lobus adaptatus est, brachii posituram promittit: qua aptius est, ea incidendum videtur, sit ceterum vel supra vel infra vel dextro vel sinistro in latere. Qualis vero brachii illa positura esse debeat, antequam lobus delineetur, accuratissime experiendum est. Quem ad finem aluta sex pollices longa et quatuor lata, in parte brachii e qua lobus excidendus est, ad longitudinem posita, aliquot emplastri taeniis agglutinatur, deinde, brachio ita figurato, quemadmodum figurari debet, quando partes sutura comprehenduntur [2]); an superiori et media ipsius parte facile ad nasum accommodari possit, oculi exacte circumferendi sunt. Quod si difficilius fieri observatum est, aluta vel superius vel inferius, vel interius vel exterius vel recte vel oblique imponenda est et agglutinanda. Totam vero delineationem semper e lobi cutanei quadrante superius provectam, nec minima quidem ex parte inferiorem esse debere, facile ex eo intelligere licet, quod, quum inferior margo cum brachio diutius cohaereat, et lobus haud mediocriter in brevius contrahatur, superior margo magis magisque deorsum proficiscitur. Quodsi neglectum est, fieri solet, ut nimis adducto brachio, cutis lobus vehementius adstringatur, quo operationis eventum maxime ancipitem evadere, per se patet.

Loco his praeceptis ad incidendum constituto, et lobi directionis ratione habita, primum aegrotus brachium porrigere iubetur, tum aluta, postquam complanata est, linea circumscribitur, deinde detrahitur, denique linea transversa inferior usque ad posteriorem brachii faciem utrinque producitur.

Actus tertius.

Incisiones longitudinales.

§. 82.

Fieri quidem posse, ut cutis lobus tribus marginibus et facie cellulosa excisus cum curto naso sine ullo incommodo committatur, methodo Germanica extra omnem controversiae aleam positum est. Ne tamen cuti, quum sensim et pedetentim ad transponendum praeparanda videtur, nimis vulneratae nutrimentum deficiat, duo tantum margines una cum cellulosa lobi facie excidendi sunt. Quum vero margo transversus inferior usque adeo cum brachio cohaerere debeat, donec lobus cum naso consolidatus sit, linteoloque transmisso lobi facies cellulosa quo minus cum subiacentibus partibus coalescat, impedienda videatur, solos laterales incidendos esse, facile intelligitur.

Taliacotium [3]) forcipem laminis transversis adhibere, quo ad brachium applicato

[1]) Cf. §. 9.
[2]) Cf. §. 69.
[3]) Cf. §. 64.

comprehensam et adductam cutem per rimas incidat, aegroto in lecto cubante, ante expositum est. Sed aegrotum in lecto cubare et supervacuum est, neque confert omnino, quum et aegrotus animo perturbetur, et profusum sanguinem lectum inquinare sine magno linteorum apparatu vix prohibere liceat. Haud minus detrimenti forceps affert, quo fortius retento cutis nimis comprimitur. Nam fieri omnino non posse, ut cutis comprehensa in plicam adducatur, qua transfixa iustum inter binas incisuras spatium intercedat, omittendum est. Quibus expositis, antiquam methodum derelinquendam, ac simpliciorem, quae et facilius fieri posset, inveniendam fuisse, haud difficile est intellectu. Quam saepius a nobis adhibitam pluribus exponere non dubitamus.

Aegrotus in cubiculo satis lucido tepidoque in sedili fenestris adversus considere iubetur. Brachium circumstantes ministri modo iam prius exposito retinent [1]). Medicus qui ad internam antibrachii partem constitit, cutem externa in linea sinistrae duobus digitis, indice et pollice adductam, fortiter immisso scalpello [2]) inde a superiori transversa linea usque ad inferiorem haud trepidanter incidit, nimirum cavendo, ne, quum tela cellulosa simul incidenda sit, subiacentes partes offendat. Si quis satis exercitatus est, incidendi vim facillime moderatur, sin minus, cutem laterali in linea vel infra vel supra in plicam transversam adducat, qua incisa, apertaque ad telam cellulosam via, specillum crenatum subter cutem demittat, atque scalpellum in crena promoveat. Quod vero vehementes dolores excitat et minus omnino laudandum est. Incisa externa linea, interna protinus incidenda est. Quo facto, cutis a subiacente tela cellulosa inde ab altera transversa linea usque ad alteram facili negotio separatur, si modo scalpellum ad telam cellulosam laxiorem usque penetravit. Adhibetur enim vel specillum nodulo crassiori, vel spathula vel digitus. Ferramentis acutis uti, quibus aeque cutis ac subiacentes partes facillime laeduntur, neque necessarium est, quum obtusa prorsus sufficiant, et detrimentum affert.

Lobum sic excidendo vehementiora sanguinis profluvia tutissime evitare licet, quod nulla fere pars magis quam cutis scalpellum experitur. Cessant enim, si qua coorta sunt, vel sponte, vel appresso non multo agarico, qua sanguis veluti e parenchymate prostillat, facili negotio cohibentur. Vascula quoque sub cute posita, quae parum caute vulnerata sanguinem emittunt, luminibus ipsorum in vulnerum fundis apparentibus, haud difficile et comprehenduntur et ligantur. Stato sanguine, actus laterales lineas incidendi ad finem perductus est.

1) Cf. §. 80.
2) Cf. §. 24.

Actus quartus.

Post incisas lineas laterales deligatio.

§. 83.

Coërcito sanguinis profluvio, linteolum quo cutis a subiacentibus partibus disiungatur [1]) hoc modo transmittendum est: Terna alterius lateris fila singula in specilla perforata coniiciantur, quae ex ordine in externam incisuram demissa, introrsum transverse transmittantur. Detractis specillis, linteolum traiectis filis comprehensum usque adeo et accuratissime quidem transmittatur, donec perfecte complanatum, externa ex incisura nonnihil, interna ex incisura magna ex parte promineat. Ceterum opus esse, ut ex illa minus promineat, facile ex eo intelligi potest, quod arescens et sanguis et serum et pus dum ligamenta renovantur et linteolum extrahitur, haud mediocres dolores excitant. Linteolum sic transmissum, filis utrinque a brachio dependentibus in Tab. IV^tae^ Fig. V^ta^ videre est, quae inter *a* et *b* litteras brachii partem repraesentat. Incisuram longitudinalem externam *c d*, internam *e f*, et partem cutis excisam oblongam margine superiori *c e*, inferiori *d f* cum brachio cohaerentem *c*, *e*, *d*, *f* litteris denotavimus. Ex incisura externa (*c d*) minor, ex interna (*e f*) maior linteoli pars eminet. *g*, *h*, *i*, *k*, *l*, *m* filorum extremitates sunt ad linteoli margines assutorum quae immisso linteolo ordine disposita emplastri taeniolis cuti agglutinentur necesse est.

Quibus peractis, utraque lateralis incisura penicillis multo unguento rosato illitis et imposito linteolo obligatur, et ipso unguento rosato obducto, quod, ne cutis utralibet agglutinetur, vulneratam interiorem anterioremque brachii partem amplectitur. Superimpositis tandem linteolis complicatis mollioribus brachioque ad digitos usque linteo involuto, linteola et linamenta circumvoluta fascia ab antibrachio ad humerum ascendente eaque remissiori retinentur. Vulnere sic deligato, aegrotus a ministris, brachium curate suffulcientibus, ad lectum perductus decumbit, brachiumque vulneratum in culcita oblonga [2]) ponit panno laneo operiendum.

Quae deligatio multis certe rationibus Taliacotianae praeferenda videtur [3]). Brachium, nisi hac vel illa ratione ligamenta demenda sunt, ad tertium vel quartum diem usque intactum relinquitur. Tum demum fascia, linteum, linteola, penicilli, accurate sicut praeceptum est renovantur, transmissum vero linteolum usque adeo intactum servatur, donec abundantius puris profluvium coortum sit. Eodem modo vulnus quotidie deligatur, usque dum bona suppuratio exoritur, quo tempore, an transmissum linteolum moveri possit, caute experiendum est. Quodsi absque doloribus fieri posse observatum est, novo linteolo commutatur, super quod unguentum perinde utrinque expansum sit. Quem

1) Cf. §. 79. 2) Cf. §. 79. 3) Cf. §. 64.

ad finem novi linteoli terna alterius lateris fila ternis transmissi linteoli filis externa ex incisura propendentibus (*k*, *l*, *m*. Tab. IV. Fig. 5.) annexa pedetentim usque adducuntur, donec novum linteolum prioris extracti locum occupet.

Quoties deinde vel plus puris collectum est, vel linteolum nimis inquinatum videtur, toties commutandum est, quod vix quotidie necessarium esse per se patet.

Exposita deligandi ratio usque servanda est, quoad transversa linea inciditur, nisi aberrans vis vegetativa aliam curationem exposcit, eamque ad praecepta dirigendam, quae de vulneribus traduntur inflammatione non minus quam suppuratione ad cicatricem perducendis [1]). Necessarium vero est inflammationis periodi quam accuratissime rationem habere, ipsamque proximis iam diebus aptis medicamentis aeque propinandis ac ipso in vulnere ponendis citius ad suppurationem perducere, nisi excisum cutis lobum facilius absumi volueris. Coorta salutari suppuratione, ad quam unguenta adiposa linamentis linteolisque illita plurimum omnino conferunt, medicamina iam exsiccantia, praesertim zinci et cerussae unguenta adhibentur quibus cicatrix confirmetur. Quodsi auctior puris secretio crudas partes impedit, quo minus cicatrice inducantur, victus tenuis aeque ac leviores alvi purgationes et aqua saturnina quotidie inter cutem linteolum musculosque iniecta saluberrimos effectus exserunt.

Ceterum vitae et victus rationem ad varias vis vegetativae conditiones accuratissime dirigendam, victumque antiphlogisticum initio plerumque praeferendum esse, e praeceptis generalibus facile intelligitur. Qua de causa quae vel acerba vel irritantia alimenta difficilius omnino concoquuntur, iis prorsus abstinendum est. Conferunt vero iuscula et pulmenta e pane albo, crimno, hordeo decorticato, alica, mucilagine sago, carne vitulina, rel. Serius, coorta salutari suppuratione, carnis vel columbarum vel pullorum vel vitulorum non multum exhiberi potest. Sorbitio sit aqua admixto citri succo vel acido tartari et sacchari nonnihil, serius, auctiori puris secretione, cerevisia et vinum aqua dilutum propinetur.

Actus quintus.

Incisio transversa superior.

§. 84.

Donec inflammationis accessus subinde observantur, neque penitior partis cutaneae vita sic transmutata est, ut servatis transversis marginibus facilius omnibus simul cum particulis communicari possit, neque cutis lobus et colore et firmitate et densitate ita auctus est, ut a pristino sanitatis statu non multum aut nihil recedere videatur, confirma-

[1]) Cf. Graefe, Normen für die Ablösung gröfserer Gliedmafsen. P. 73—88.

firmataque in marginibus cicatrice exoptata vitae propriae signa prae se ferat: linea transversa superior omnino non incidenda est. Sin enim praepropere inciditur, fieri potest, ut aucta per nimium vulnus irritatione, excisa cutis pars breviori temporis spatio penitus abolescat. Exoptata ista provectioris vitae signa Taliacotio auctore, qui prolixiorem de hac parte tractatum exhibet [1]), circiter diem decimum quartum, nostris vero observationibus sub quartae demum hebdomadae finem observare licet, quas certe diversas inter se temporis rationes ad coeli utriusque diversitatem, sub quo operationes fieri contigit, maxima ex parte referendas esse satis omnino constat.

Observatis igitur salutaris lobi transmutationis symptomatis, quae sufficientem ipsi vim vitalem inesse extra dubitationem ponant, neglecta obsoleta [2]) eaque rudiori methodo, protinus incidendum est.

Apparatus [3]) idem est, quo ad incidendas lineas laterales opus esse commemoravimus. Linteolum tamen, quo cutis disiungatur, supervacuum est, cuius loco aliquot charta lusoriae oleo madidae et tria linteola multo unguento rosato utrinque illita ad manus sint.

Iam aegroto in sedili posito, brachioque sicut praeceptum est [4]) retento, non digitus, qui cutem fortius adstringendo magnos eosque supervacaneos dolores excitat, sed specillum crenatum fortius subter excisam cutem ita transmittitur, ut aequaliter ex incisuris utrinque promineat. Quo transmisso angulisque vulneris superioribus fortiter appresso, crena scilicet ad cutem, et convexa facie ad musculos conversa, cutis primum mediocriter adducta a ministro, qui infimam lobi in partem digitos leniter imponat necesse est, magis etiam adstringitur, deinde scalpello communi, recto, acutissimo, acie ad epidermidem conversa, in crenam demisso, ductu simplici ab interno angulo ad externum usque cito tutoque traiicitur. Denique sanguinis profluvium, iisdem fere medicamentis [5]) sistitur, quae in lateralibus incisuris adhibenda esse praecepimus, quo tandem actus transversam lineam incidendi ad finem perducitur.

Actus sextus.

Post incisam lineam transversam superiorem Deligatio.

§. 85.

Inciso superiori margine, cutis lobus placide leniterque a subiacentibus partibus attollitur, abundans pus caute affusa tepida eliquatur, et cruda musculorum facies linteolo molliori vulnere longe maiori super quod unguentum rosatum utrinque expansum sit, contegitur. Superimposita emplastri glutinantis taenia ad inferiorem vulneris angulum inter lobum musculosque ita applicatur, ut extremae ipsius partes posteriori brachii faciei e

[1]) Cf. §. 65. [2]) Cf. l. m. l. [3]) Cf. §. 78—80. [4]) Cf. §. 80. [5]) Cf. §. 82.

transverso agglutinentur. Ita fit, ut, quum cruda lobi cutanei facies imposito linteolo et apte deligetur, et a subiacentibus partibus perfecte disiungatur, applicata etiam emplastri taenia inferior vulneris angulus, ubi cutis facillime solidescit, commodissime impediatur, quo minus coalescat. Ceterum opus esse, ut emplastri taenia, ne negligentius praecauto partium coitu lobus in brevius contrahatur, arctius sedeat, aeque intelligi potest, ac nimis adstrictam taeniam tum dolores excitare, tum partibus nutrimentum subtrahere.

Operta cruda musculorum facie alterum linteolum perinde magnum et unguento utrinque illitum in cruda reflexi lobi facie ponitur, inter utrumque vero linteolum charta oleo madida immittitur, deinde lobo ad pristinam posituram leniter reclinato, tertium linteolum, unguento perinde obductum ad externam huius faciem marginesque, ne partes arescant, applicatur. Reliquum est, ut superimposita altera charta oleo madente, et leviter agglutinatis aliquot emplastri taeniolis linteola complicata, fascia rel. adaptentur, sicut antea praeceptum est [1]). Quam deligandi rationem ideo praecipue praeferendam esse, quod partibus undique unguento circumdatis, et margines quo minus arescente pure agglutinentur, commodissime impediuntur, unde maximos non solum eosque supervacuos dum ligamenta renovantur dolores provocari, sed cutem etiam vehementius irritari, per se patet, — et excisus lobus, chartis veluti levioribus lamiuis interpositus in brevius contrahi et nimis corrugari prohibetur, quod plurimum certe ad aptiorem nasi figuram confert: extra omnem controversiam positum est. Ceterum cavendum esse, ne fascia arctius adstricta recenti cutis lobo detrimentum afferat, ne dignum quidem est, quod commemoretur.

§. 86.

Quod inflammationem, suppurationem et cicatricis appropinquantis periodum attinet, post adaptata ligamenta scitius ad normam dirigendas, eadem quidem medicamenta [2]) quum propinanda tum ipsis vulneribus imponenda sunt, quae in curandis incisuris lateralibus laudare non dubitavimus. Minus tamen omitti posse videntur, quae ad cicatricem citius confirmandam plurimum conferant in qua tandem totius huiusce curationis cardo vertitur.

Unguenta adiposa, quum partes agglutinari prohibeant, gratissima quidem sunt, et adhibenda omnino, ubi nondum coorta aliqua secretione per suppurationem sanandum videtur, diutius tamen adhibita crudas vulnerum facies ita relaxare solent, ut transmutata puris secretione liquor dilutus aquosus profluat, ubi ad medicamenta quae alios eosdemque longe diversos ab istis effectus exserant, protinus confugiendum esse, facile intelligi potest. Adhibeatur itaque aqua saturnina, in qua penicilla tincta toties imponan-

¹) Cf. § 83.
²) Cf. §. 83.

tur, quoties vulnus siccessere visum sit. Efficacius, sicut usus ostendit, corticis ulmi decoctum est, in quo sacchari saturni nonnihil solutum sit. Partibus vero exsiccari coeptis et depravata liquoris diluti secretione nondum coorta, statim ad unguenta, quibus commodius uti licet, redeundum est. Caro hic illic luxurians lapide infernali coërcetur. Si dolores adsunt, brachio leviter flexo et placide in culcita posito, in lecto cubandum est. Sin minus, brachium, cicatrice iam inducta, involutum mitella commodissime excipitur, et aegroto vel sedere vel spatiari licet.

Hanc inter curationem lobus cutaneus magis magisque contrahitur quidem [1]. firmior tamen evadit densiorque, donec appropinquante translationis tempore margines penitus, et cruda facies maxima saltem ex parte cicatrice inducta est. Ipsam translationis periodi rationem Taliacotius tam exacte disputavit, ut prolixiorem ipsius expositionem citasse sufficiat [2]. Nostris vero observationibus lobi maturitatis signa post sextam demum hebdomadam, vel duos menses vel serius etiam sub adspectum cadere, quae a Taliacotio iam sub finem proximi mensis perfecta observata sunt, eamque variam temporis rationem verisimillime ad coeli diversitatem referendam esse [3]), sub quo tum Taliacotii, tum nostras operationes fieri contigerit, iam ante commemoratum est.

B. Italicae methodi Pars altera.

Lobi praeparati translatio.

§. 87.

Quanta accuratione Taliacotius artificiosissimam hancce Italicae methodi partem descripserit, quam ingeniose varias agendi rationes excogitaverit, quibus propositam metam attingeret, quamque singulas quae accidere possent rerum conditiones acute respexerit, e tradita expositionis summa [4]) videre est. Quae licet egregias ipsius virtutes nos admirari iubeat, tam manca tamen et mutila videtur, ut chirurgiae non solum sed curationis etiam secundariae ratione habita, multa, quae ad prosperum operationis successum plurimum sane conferant, prorsus falso praecepta, nostris demum temporibus, provectiori scilicet litterarum statu, experimentis et illustrata et emendata sint. Nonnullis operationis in partibus Taliacotius non nimis tuto manum imposuit, neque aegrotum crudelissime excruciare dubitavit. Ceterum praecepta tradidit, quae licet primo adspectu maxime probanda videantur, re vera tamen, quod observari omnino nonpossunt, prorsus negligenda videntur.

Nam delineationem, cuius utilitatem in describenda Indica methodo [5]) lectoribus iam satis nos probasse arbitramur, Taliacotium in vulnerando curto naso posthabuisse [6]).

1) Cf. §. 81. 2) Cf. §. 66. 81. 3) Cf. §. 84. 4) Cf. §. 67—70. 5) Cf. §. 30—36. 6) Cf. §. 67.

re vera minus laudandum est, neque partes applicata ad curtum nasum schedula exactius demetiri licet [1]), quandoquidem archetypum prius effictum [2]) solum ad accuratam demensionem facere posse, clare elucescit. Ceterum schedulam prorsus non sufficere ipse Taliacotius probat, quum vulneratum cutis lobum iterum atque iterum ad nasum applicari partesque supervacuas usque adeo resecari praecipit, donec cutis omnibus numeris apta ad committendum videatur [3]). Quanti vero errores hoc modo commissi postea nulla ratione corrigi possint, quamque aegrotus excrucietur, qui operationem experimentis in longum protractam videat, tam facile intelligi potest, ut fere omittendum sit. Iam successus ratione habita, nemo est, qui dubitare possit, Taliacotii demetiendi rationem maxime imperfectam evadere. Hic enim nunquam lobum cum curto naso commisit, quem sexto iam die resecaverit, quod adhibita nostra methodo prosperrimo successu fieri posse, non semel observavimus [4]).

Acubus rectis iisque triangularibus, quibus suturam fieri vetus Italica methodus praecipit [5]), multis rationibus, quas accuratius recensendi operae supersedere licet, prorsus abstinendum est, praeterquam quod variae, quibus inter suendum opus est flexiones rectis acubus fieri omnino non possunt. Perinde fere intelligi nequit, quomodo factum sit, ut brachio iam ad faciem admoto atque retento, fila et immitterentur et exacte in nodos contraherentur, quum digitos ita adhiberi posse, quemadmodum opus est, ut nodi curatius adstringantur, hac certe brachii positura, nemo sit, qui sibi persuadeat. Iam fila Taliacotium resecuisse, maximo nobis argumento est, quam parum eius temporis medici suturis uti studuerint, quae licet adstrictiores, pro variis tamen rerum conditionibus remitti possent, quasque solas partes perfecte in unum adducere, ante demonstravimus [6]). Taliacotii igitur sutura, et quod difficillime immittitur, et talem omnino effectum non exserit, qualem suturam exserere postulari potest, prorsus reiicienda videtur. Ipsa quoque Taliacotii post immissam suturam deligatio varia ratione commutanda est, quam, ne demonstratio nostra minus dilucida evadat, seorsum [7]) exponemus.

Omnes itaque veteris Italicae methodi partes tam emendandas, quam plane commutandas fuisse, satis probatum videri potest. Commutavimus vero, quemadmodum recentiora experimenta id postulare videbantur, oculos exactissime circumferentes, et prosperrimo quidem successu. Quum vero omnes Italicae Rhinoplastices emendationes ad agendi rationem pertineant, in prima Germanicae methodi parte fusius tradendam, ne reditu ad propositum et iteratione taedium afferamus, lectores illuc relegasse sufficiat. Ergo prima Germanicae methodi pars [8]) alteram novae Italicae efficiat, quo et facilius et tutius et aptius praeparatus lobus tempore quo transponendus est cum curto naso committi possit.

1) Cf. §. 68. 2) Cf. §. 51. 3) Cf. 68. 4) Cf. §. 150. 5) Cf. §. 69. 6) Cf. §. 26. 44. 7) Cf. §. 153 — 162. 8) Cf. §. 112 — 128.

C. Italicae methodi Pars tertia.

Lobi de brachio resectio.

Actus primus. — Temporis diiudicatio.

§. 88.

Cutis lobum tum demum resecare convenit, quum curto naso ita unitus est, ut marginibus commissis vitae veluti communio esse videatur. Sin prius resecatur, fieri potest, ut nutrimenti defectu facilius absumatur, contra, serius, ut sursum reflexus longissima aeque curatione ac maximo aegri incommodo ad sanitatem perducatur. Resectionis vero tempus appropinquasse ex eo dignosci potest, quod partes inter se commissae tam perfecte conglutinatae sunt, ut exemta omni sutura [1]), leviter utralibet adductae facile et quasi continuum corpus sequuntur, praeterquam quod ipsa marginum commissura vel epidermide, vel materia fibrosa solida, flavescente, vel crusta subtiliori, succino haud absimili inducta est. Quodsi non omnibus quidem commissurae in partibus contigisse observatur, marginibus hic illic minus conglutinatis, etsi maxima ex parte consolidatis, resecandum est tamen. Nam et cutem per commissas plurimas partes apte nutritum iri expectari potest, et vulnuscula suppurantia, quod lobo resecto melius curantur, citius nimirum et tutius sanescunt. Ceterum temporis spatium, quo symptomata ad resecandum provocantia sub adspectum cadant, pro anni tempestatis non solum, sed corporis etiam habitus diversitate et sutura vel adstrictiori vel remissiori modo brevius, modo longius esse debere, nemo est, qui minus sibi persuasum habeat. Prosperrimi successus [2]) exemplum observavimus, quo sexto die lobus resectus est, quod alias, auctore Taliacotio ante diem decimum, vel decimum quartum, vel vicesimum etiam vix fieri posse videbatur.

Actus alter.

Lobi resectio sive inferioris lineae incisio.

§. 89.

Aegroti in sella positi caput et brachium duobus a ministris retinentur, et fasciae, quae ut brachium adductum servarent, arctius usque eo sedebant, solvuntur. Solutis, linea inferior, producta iam quum altera operationis pars fieret [3]), scalpello longiori et

[1]) Cf. Sect. V. Pars I. §. 125—128.

[2]) Cf. Sect. V. §. 150.

[3]) Cf. §. 87. 113.

acie non multum convexa haud trepidanter inciditur. Quae licet a Taliacotio [1]) prorsus negligatur, curatissime tamen observetur necesse est, nisi incisuram, quum partes adhuc retentae difficilius inspiciantur, falso produci volueris, quodsi factum est, irreparabilia certe incommoda remanent, quod cutis oblique incisa vel naso aptius figurando vix sufficit, vel, si satis magna videtur, ne gravius hocce incommodum fiat, in brachio certe lacinia relinquitur, scalpello maximis doloribus removenda.

Lobo igitur accuratius resecto, medicus agglutinatam partem, ne commissura pondere eius distendatur, digitis protinus comprehendit, suffulcitque. Interim, quo facilius faciei partes tractari possint, ministri brachium placide deflectere iubentur et recens cruda facies agarico modicum semper sanguinis profluvium optime cohibente, contegitur.

Actus tertius.

Deligatio.

§. 90.

Agglutinata cutis pars, quam digitis usque retineri modo praecepimus, aptis ligamentis a qualibet commissurae distentione quam pondus efficit, accuratissime defendenda est. Quem ad finem immissis prius in nares turundis crassioribus, zinci unguento illitis, longior emplastri glutinantis taenia media ipsius parte ita ad imum lobum applicatur, ut extremitates utrinque sursum reflexae fronti commode agglutinari possint. Cuius effectum, si res exigit, altera taenia perinde applicanda facile augere licet, quae partem cutaneam veluti suspensam retineat necesse est. Agglutinatis taeniis, balsamum Commendatoris aeque commissurae ac vulnusculis, si qua suppurare observantur e penicillo illinitur, et plures etiam emplastri taeniae, quibus illae retineantur tam fronti quam naso superimponuntur. Superest, ut novus nasus sicco penicillo operiatur, opertusque bombyce aromatico [2]), aliquot emplastri taeniis retinendo undique involutus quam commodissime excipiatur.

Quae deligandi ratio plurimam haud dubie securitatem ideo pollicetur, quod cutis lobus aptissime suffultus et a frigore et qualibet ligamentorum a pressione, quam Taliacotiana methodo [3]) vix praecavere licet, satis defendatur, praeterquam quod halitus aromatici infirmas partes ad auctiorem actuositatem continuo suscitant.

Donec medicus deligationis in facie satagit, ministri brachium mediocriter detortum curare et sanguinem e cruda recentis vulneris facie mediocriter promanantem appresso agarico sistere iubentur. Cetera lobi area aqua Goulardi abluta linamento super quod zinci unguentum expansum sit, contegitur. Quo facto, brachium ad thoracem usque

[1]) Cf. §. 71. [2]) Cf. §. 27. [3]) Cf. §. 71.

placide leniterque detortum, qua dolores sentiuntur, et dolent quidem tam humerus quam cubitus vehementissime, ea linimento volatili calefacto perfricandum, et fascia involutum supposito linteo complicato eadem quam diximus positura suffulciendum est. Adaptatis ligamentis aegrotus tandem lecto traditur, ubi quietem capiat post resectum de brachio lobum maxime necessariam.

Actus quartus.

Curatio secundaria.

§ 91.

Brachium, quod aegrotus proximis diebus vix porrigere valet, usque adhibitis medicamentis exsiccantibus brevi sanescit, nec ulla postea curatione indiget.

Magnam vero accurationem translata cutis exigit, quae, licet apte consolidata prosperrimum successum polliceatur, incauta tamen et praepropera tractatione facillime absumitur.

Qua de causa aegrotus statim post primam deligationem et in lecto detinendus, et quolibet vehementiori motu curatissime prohibendus est. Sorbitiones exhibeantur mucilaginosae refrigerantesque, ut hordei decorticati vel avenae decoctum, cui succi citri nonnihil vel acetum rubi Idaei admixtum sit. Ceterum proximis diebus solidis minus quam iusculis utatur, ne distentis inter manducationem faciei musculis partes inter se commissae detrimentum capiant. Laudandum est carnum ius, in quo tantum vel alicae vel crimni vel hordei decorticati decoctum sit, quantum aegroto famem depellat et satietatem afferat. Ligamenta quidem quotidie renovantur, agaricus tamen usque adeo intactus servatur, donec sponte decidat, ubi penicillo unguento zinci illito commutandus est. Quae denique ad ceteram curationem pertinent, eadem usque observanda sunt, quae primo die fieri praecepimus.

Si partes penitus unitas perfectam vitae communionem iniisse ex eo intelligitur, quod commissura firma epidermide inducta est: vulnuscula, si qua hiantibus hic illic oris suppurant, iterum incisis marginibus vel emplastro glutinante, vel sutura, si res exigit, usque adeo committuntur atque curantur, donec cicatrix ab altera nasi ala usque ad alteram nusquam interscissa appareat.

Quodsi tandem perpetratum est, aegroto et in cubiculo spatiari, et solidum cibum sumere, et vini non multum bibere licet. Idoneum quoque est progrediente positurae transmutatione lobum ita figurare, ut narium septum nasique apicem postea repraesentare possit, neque extimescendum videtur, ne usque tractata cutis, quum penitus unita sit, vita deficiat, quod prius facillime fieri potuisset, quum margines non satis consolidati vix ullam securitatem promitterent. Apex igitur vel sursum vel utralibet conversus, sutura scilicet non satis caute imposita, commode applicandis genisque ag-

glutinandis emplastri taeniis pedetentim et gradatim ad septi normam dirigitur. Cetera ligamenta perinde adaptantur, atque primo die fieri praecepimus. Balsamum Commendatoris, si nulla amplius vulnuscula suppurant, supervacuum est, verum nimia tunc temporis in nasi cavo suppuratio iniecta aqua saturnina cohibetur. Priusquam operatio perficitur, haud dubium esse debet, quin pallescens usque et infirma cutis vi vegetativa satis aucta sit. Cuius certe confirmata recente in vulnere cicatrix optimum signum habendum est. Confirmatur vero duabus post resectionem hebdomadis, citius nunquam, tardius saepissime. Inducta igitur cicatrice, ad narium conformationem protinus transeundum est.

D. Italicae methodi Pars quarta.

Septi conformatio.

§. 92.

Quae in vetere Italica methodo [1]) de delineando septo et naribus praecepta traduntur, ea prorsus manca sunt et mutila. Pertinent enim ad artis picturae et statuariae nonnullas regulas, easque vel negligentissime adhibitas, quae, licet capitum cuidam generi normam constituant, minus tamen observandae videntur, ubi perfectus lineamentorum consensus summum artis propositum est, nasus itaque et ambitu et figura ceteris peculiaris cuiuslibet faciei partibus quam accuratissime accomodandus videtur.

Ipsa vetus suturam imponendi methodus magna vituperatione reprehendenda est. Taliacotius enim, qui praeterlapsis post narium excisionem vel tribus hebdomadis, vel duobus mensibus, si tempus ulterius protractum est, septum sutura comprehendit, cicatrice nimirum et tota interna in facie et inferiori cutis in margine confirmata: forcipem adhibet, quo cutem, sicut prius commemoratum est, in collem adductam retinet, retentamque, qua septum committatur, scalpellis ad id factis resecando [2]) et tantis ambagibus vulnerat, ut, quam parum haec manum imponendi ratio ad propositum accedat, quantosque supervacuos dolores excitet, fere in oculos irruat, neque pluribus exponendum videatur.

Iam ipsa suturam imponendi methodus, qua simplex fibula [3]) (sutura nodosa) adhibetur, neutiquam imitanda est. Septum enim, quod naturaliter conformatum retrorsum maiorem in latitudinem patet, simplici fibula vix comprehensum difficilius solidescit, neque

[1]) Cf. §. 72.
[2]) Cf. §. 73.
[3]) Cf. l. m. l.

que cris hic illic dehiscentibus cum curto naso aptius committi potest, nisi iteratis partium crudarum incisionibus, et sutura molestissime redintegrata.

Quibus expositis, omnes huiusce partis actus plane emendandos fuisse, facile intelligi potest. Quales vero assiduus usus et exercitatio emendationes attulerint, e tertia Germanicae methodi parte [1]) videre licebit, quae omnibus numeris commutata quartam Italicae methodi partem efficiat necesse est, nisi servatis obsoletis erroribus tutius ad propositum accedere nolueris.

E. Italicae methodi Pars quinta.

Conformatio progrediens.

§. 93.

Praecipua progredientis conformationis adminicula tubuli nobis et tectoria tradita sunt [2]). Illos, quum forma ad propositum minus conveniant, maxime imperfectos evadere, ex eo praesertim intelligitur, quod commodius retineri nequeunt. Nam descriptionis aeque ac figurarum ratione habita, haud dubium est, quin in naribus sedere non possint, nisi simul ad nasum applicato tectorio, cuius infima parte transversa elabi prohibentur. Quare, quod Taliacotius [3]) asseverat, tubulos reiecto etiam tectorio nusquam retentos sponte inhaerere, et figura ipsorum conica, et pondere haud mediocri, et interna nasi facie maxime lubrica, neque per se credibile, et permultis experimentis ad id institutis adeo in dubium vocatum est, ut nihil, quam formam ipsorum meliorem facere usu magis necessarium videretur.

Alterum conformationis adminiculum tectorium adhibitum est, quod perinde ad propositum non convenit. Capaciora enim tectoria ad novum nasum applicata prorsus nullum effectum exserunt, contra, exactius fabricata arctius complexa nasum in angustius coactum ad faciem apprimunt, neque remissius utrinque compressum ita figurant, ut et acutior et subtilior evadat, et naturalius omnino se habeat. Ceterum tectorii effectus donec imponitur, quum partes nusquam in conspectum veniant, nec ideo, quatenus commutentur, observari possint, prorsus delitescunt, praeterquam quod pressio etiam ubi necessarium videtur vix ita augeri potest, ut effectus singulis quibuslibet rerum conditionibus respondeant.

Quibus propositis, utrumque Taliacotii conformandi adminiculum neque usu praestare et plane reiiciendum esse, per se patet. Quum vero multo serius ad aliquam per-

[1]) Cf. Sect. V. §. 150—53.

[2]) Cf. §. 75.

[3]) Cf. l. m. l.

fectionem perductum primum in elaboranda et frequentanda Germanica methodo melius factum sit: sola Germanica methodus accuratiorem progredientis conformationis expositionem sibi vindicat, qua exactius descriptum invenies. Ergo ne reditu ad propositum et iteratione lectoribus taedium afferre videamur, quartam Germanicae methodi partem citasse sufficiat, quae Italicae quintam repraesentabit, si huius seorsum rationem habere magis placuerit.

Morbi historia.

§. 94.

Quam in enarranda illa quae ad Indicam methodum pertinet morbi historia rationem adhibuimus, eadem et hoc Italicae methodi exemplum afferre non dubitamus, ideo certe gravissimum, quod receptam post duo saecula Taliacotianam methodum fieri omnino posse, primum [1]) extra omnem controversiam posuit, ceterisque prosperrimi successus experimentis viam aperuit.

§. 95.

Michael Schubring, Gedanensis, annos natus viginti octo, faber ferrarius robustissimus, gladii ictu in proelio Parisiensi totam cartilagineam nasi partem amiserat. Cavum inde ab ossibus apertum conchas utrinque repraesentabat, et alis penitus deficientibus, infimum quoque septum totum, ac summum maxima ex parte et ita detruncatum erat, ut subter ossa intumescens et exulceratum non multum prominereτ. Ulcera pertinacissima ne ullis quidem medicaminibus plurimis a medicis per longissimum trium annorum spatium adhibitis cesserant. Ceterum superficialis vomeris intumescentia neutiquam a malo quodam corporis habitu, sed ipso ab ulcere refractario effecta videri poterat, qua de causa praesentissimum ferrum candens auxilium tulit, et crudescentes partes intra paucas hebdomadas, quemadmodum exactissime delineatas Tab. II^dae^ Fig. I^ma^ repraesentat, prosperam ad sanitatem perduxit.

§. 96.

Ipsa vomeris cicatrice et optime confirmata, nec unquam recrudescere visa, aegrotum apte praeparavimus [2]) et diem operationis indiximus octavum M. Martii A. MDCCCXVI.

Quo die Jüngkenio, Michaele, Beerio Doctoribus, et Nary praefecto chirurgis superiori ministrorum munere fugentibus, circumfusa medicinae studiosorum multitudine

[1]) Cf. §. 15. [2]) Cf. §. 78—80.

utramque in brachio sinistro lineam lateralem, interiecto quatuor pollicum intervallo, sex pollices longam incidimus, et cellulosam cutis faciem a subiacentibus partibus separavimus. Quum vero, sicut praeceptum est [1]), ambo musculi bicipitis margines, ut lobus sat magnus evaderet, incidendi essent, vix evitari poterat incisuram externam iuxta venam cephalicam producere, quae dehiscentibus longissimi vulneris oris sex pollicum longitudine nuda et sanguine repleta in aspectum cecidit. Incisa cute et sponte cessante modico sanguinis e vulnere profluvio, linteolum cum ceteris linamentis fasciisque [2]) protinus impositum est. Aegrotus conveniente brachii positura [3]) lecto traditus, operatione perbrevi tempore ad finem perducta, mitiorem post adaptata ligamenta calorem in vulnere percepit.

Vespera auctum in vulnere calorem conqueritur, doloribus ad humerum et ipsis ad thoracem usque productis. Pulsu insuper pleno, duro, et facie rubente, protinus octo sanguinis unciae e dextri brachii vena mittuntur, et cremor tartari exhibetur, praeterquam quod fomenta frigida ad vulneris regionem adhibita saluberrimos in acutos dolores, qui erethismum [4]) significant, effectus exserunt. Ne tamen diutius admisso frigore aegrotus detrimentum capiat, quoties suppressi dolores remittunt, toties fomenta ista sicco integumento commutantur.

Die IX^no^ M. Maii. Noctu aliquot horas placidum somnum capit. Item dolores magis magisque decrescunt, donec inter quietem nulli, inter motus tantum percipiantur. Pulsus mollis, frequentior tamen. Hora nona matutina motus in pedibus convulsivi, mox tensiones spasticae ad inguina usque productae observantur. Simul pulsus ad extremum fere diminutus, frequentior etiam fit. Qua de causa statim exhibentur quindecim tincturae Thebaicae guttae, et chamomillae infusum prosperrimo successu per clysterem immittitur. — Motus enim convulsivi ad vesperam adeo remittunt, ut ipsi in extremis pedibus fere evanescant Interim facie denuo rubente, augescente pulsu, et alvo usque obstructa, aegrotus cephalalgiam obnubilationemque persentiscit, sanguinis ad caput congesti effectus. Propinatur itaque salis Glauberi semuncia. Simul renovati vulneris dolores frigida fomenta iterari iubent.

D. X^mo^ M. M. Post quietum somnum recreatio. Pulsus, etsi plenus, non tamen frequens. Caput et pulmones doloribus fere vacui. Alvus obstructa. Motus convulsivi nulli. Lobus cutaneus valde quidem irritabilis, sed neutiquam per se dolens, demtis ligamentis aeque rubere ac intumuisse videtur, et media ipsius in parte, marginibus nondum inflexis, conspicue in angustius contractus est. Medicamentum

1) Cf. §. 9. 62. 81. 82.

2) Cf. §. 83.

3) Cf. l. m. l.

4) Cf. C. F. Graefe, Normen für die Ablösung größerer Gliedmaßen. p. 78. 79.

laxans antiphlogisticum usque propinata aqua cremore tartari mixta, iterum exhibetur, et vulnus, linteolum transmissum nondum eximendo, sicut praeceptum est, obligatur. Alvus ad meridiem usque bis secedit, magno aegrotantis levamento, qui mox iusculum e pane albo confectum haud impigre coenat, coenatusque aliquot horas interdiu placide obdormiscit. Vulnus perinde deligatur curaturque atque die IXno.

D. XImo M. M. Ciborum appetentia, sommus, pulsus boni. Alvus adstricta. Lobus magis magisque rubescit, signis suppurationis apparentibus, vulneris dolores aucti. Sal Glauberi repetitur, et frigida fomenta denuo frequentantur. Victus ratio tam antiphlogistica usque servatur, ut iuscula dilutiora et fructuum decoctorum pulticulae tenue aegrotanti alimentum praebeant. Interim modo aquam citratam, modo e cremore tartari mixtam sorbet.

D. XIImo M. M. Valetudo, qualis pridie. Rubor cutis saturatior, dolores, quoties fomenta intermittuntur, revertunt, et usque adhibendum frigus exigunt. Suppuratio augescit. Alvus continuo adstricta exhibita salis Glauberi uncia ad vesperam soluta bis secedit, magno aegrotantis levamine.

D. XIIItio M. M. Valetudo, qualis pridie. Vulnus lympham puriformem secernit. Cutis profunde rubet ut in nuper natis. Media adeo in angustius contracta apparet, ut margines iam non directi semilunares videantur. Quo melior suppuratio evadat, intermissis fomentis frigidis, cataplasmata e radicis Althaeae decocto adhibentur, sed salutares effectus vix exserunt. Quare repetita fomenta frigida et auctum vulneris erethismum diminuunt, et habitum aegrotantis et suppurationem meliorem faciunt.

D. XIVto M. M. Valetudo, qualis pridie. Medicamina et victus ratio eadem. Suppuratio, licet usque admisso frigore salutaris videatur, vulneris tamen amplitudini nondum respondet. Fomenta supervacua.

D. XVto M. M. Valetudo eadem. Suppuratio salutaris, aucta. Transmissum linteolum, accuratissime observatis praeceptis *) primo eximitur. Dum novum transmittitur, vulnus, quantum sub aspectum cadit, papillis carneis naturaliter inductum apparet, quae ipsae e nudata vena excrescere, eamque oculis magis magisque subtrahere videntur. Medicaminibus intermissis, cerevisiae non multum, et carnium ius adiecto crimno exhibetur.

D. XVIto M. M. Valetudo et curatio quales pridie. Cutis subsidere quidem visa, duplo tamen vel triplo quam post incisiones crassior, et tanto tam firmitate quam spissitudine augescere videtur, quanto magis papillae e cellulosa facie excrescunt.

D. XVIIvo M. M. Status idem.

A. D. XVIIImo usque ad d. XXXImum M. M. Suppuratio bona, salutaris, augescens. Cutis usque colore saturo inducta et caerulescens, ad margines haud incisos pallere

*) Cf. §. 83.

incipit, iamque aptius nutriri videtur. Media pars, quod a marginibus unde nutrimentum comparatur, maxime remota est, saturum ruborem diutissime retinet. — Dolores aegrotus nullos conqueritur, neque persentiscit omnino, nisi rudius tractato vulnere. In crudis brachio adhaerentibus oris cicatrix magis magisque confirmatur. — Ne suppuratione nimis aucta omnis vita consumatur, et aqua Goulardi quotidie iniicitur, quae vim formatricem ad penitiorem lobi perfectionem convertat, et penicilli incisuris operiendis usquedum zinci unguento illiti eodem medicamine imbuuntur. Unguenta enim adiposa, quae partes agglutinari prohiberent, iam auctiori secretione et supervacua sunt, et partes emolliendo ipsa detrimentum afferre videntur. — Transmissum linteolum toties commutatur, quoties pure inquinatum arescit, ergo altero quoque vel tertio die. Cetera et linamenta et linteola semel vel bis die renovantur. Toties aqua Goulardi iniicitur. Positura eadem servatur, ad quam primo die brachium directum est. Commutata excitatis doloribus vix fertur. Cubiti anchylosis variis inter deligandum motibus praecavetur. Iam carnes, cerevisiam et vini non multum exhibere licet.

A d. I^mo^ usque ad d. VI^tum^ M. Iunii. Habitus optimus. Excisa cutis pars naturali colore inducitur. Epidermis brevissimo aliquot dierum spatio desquamatur. Media cutis pars adeo in angustius contracta est, ut fere e triente diminuta videatur, marginibus et sursum et deorsum ad priscam latitudinem divergentibus. Lobus crassitie quidem e dimidio diminutus, firmitate tamen et spissitudine auctus apparet. Doloribus aegrotus nullis vexatur, nisi inter brachii motus a transmisso linteolo excitatis. Cicatrix in crudis brachii marginibus fere confirmatur, et excisae cutis orae iam convexae, licet angustis, sanissimis tamen cicatriculis inducuntur. Incisurae laterales, quod cutis, quamvis linteolum transmissum sit, utrinque tamen solidescit, nonnihil in brevius contrahuntur. Curatio eadem servatur, quae ad diem XXXI^mum^ M. M. usque praescripta est. Alvus a longa ut videtur quiete tardior facta, medicamentis subinde solvitur.

§. 97.

D. VII^mo^ M. Iun. Cutis iam solidior et naturaliter colorata, nec minus cicatrix magna ex parte inducta ad incidendum provocant. Accedit etiam ad hoc, ut suppuratio exsiccantibus medicamentis valdopere diminuta una cum optimo aegroti habitu et confidentia prosperum successum polliceatur.

Ergo linea transversa superior sicut praeceptum est [1]), et celerrime quidem inciditur. Quum vero diutissima vulneris curatione aegrotantis irritabilitas ad altiores gradus provecta videatur, vehementiores quam primas inter incisiones dolores conque-

[1]) Cf. §. 84.

ritur. Sanguinis e brachio profluvium mediocre, e cruda lobi cutanei facie fere nullum observatur. Lobus post incisionem conspicue pallet, evanescente etiam superiori ipsius in parte calore. Ipsa cutis fabrica, quod in crudis faciebus videre est, ad telae cellulosae naturam accedit. Cellulae textura frmiori adipem hic illic repraesentant. Lobo leniter reflexo, quod vero absque doloribus vix fieri potest, cruda brachii facies papillis carneis adeo obducta apparet, ut ipsa vena iam sub aspectum non cadat. Idem fere in cellulosa lobi facie animadvertitur, etsi papillis non perinde vegetis inducta. Sensatio in lobo fere nulla ab aegroto percipitur, et veluti torpescentis partis est. Fortiorem cutis per digitos compressionem vix persentiscit, quamvis lobus vel lenissime reflexus vehementiores in vicinis etiam partibus dolores excitet. Facta incisione, cutis statim quidem in brevius contracta, pristinam tamen latitudinem usque retinet.

Modicum sanguinis profluvium agarico cohibetur, et vulnere, sicut praeceptum est [1]), obligato, aegrotus lecto traditur. Brachium ut prius in culcita ponit. Incisa igitur linea transversa, ardorem in brachio percipit, mox vero sponte remittentem. Commutata victus ratione carnis iusculum dilutum coenat et aquam citratam sorbet. Vespera inquietudo ac nervorum compages incitatior opii non multum exigunt.

D. VIII^{ro} M. Iun. Somnus placidus. Calor lobi cutanei usque torpescentis quidem, nec tamen prorsus insensilis, aequaliter distributus observatur, suppuratione perspicue imminuta. Deligatio qualis pridie. Vulneris irritabilitas aucta. Victus et medicamina eadem.

D. IX^{no} M. I. Valetudo bona, sed aucta nervorum actuositas. — Lobus calore, tumore, rubore auctus, iteratae inflammationis speciem praebet. Post deligationem ardor vulneris molestissimus obtinet, statim exortus, quum lobus cautissime reflecteretur. Victus liberalior.

D. X^{mo} M. I. Valetudo qualis pridie. Dolores inter deligandum modici. Ipse cutis lobus irritabilior. Impositus agaricus sponte delabitur. Superior lobi cutanei pars pallidioribus, laxis, nec adeo distinctis, inferior rubescentibus vegetis papillis carneis inducta est. Suppuratio omnino auctior, sed variis lobi in partibus diversa. Nam superiori in parte fere blennorrhoica liquor pellucidus pituitosus, qui inferiorem vis formatricis conditionem indicat, in inferiori pus flavescens, spissum neque pellucidum secernitur, unde cutem hic loci auctiori vita praeditam superiori conformationis gradui advectiorem esse intelligere est. Partes sicut antea obligantur. Aucta nervorum incitabilitas et victu lautiori et cortice Peruviano compescitur.

D. XI^{mo} M. I. Valetudo eadem. Crudae facies a pristina specie nondum recedunt, siquidem diversa diversis lobi in partibus secretio magis etiam quam pridie sub adspe-

1) Cf. §. 85.

ctum cadit. In apice enim pituita penitus pellucida, medio in lobo spissior, nec iam pellucida, infimo denique in lobo pus merum, flavescens, spissum secernitur. Diversi itaque inter se vis vitalis gradus, et aeque diversae inter se blennorrhoeae stadia et transitum huius in suppurationem, eodem tempore eademque corporis in parte repraesentant.

D. XII^mo M. I. Suppuratio magis magisque expanditur, blennorhoica igitur facies tanto in brevius contracta apparet, quanto suppuratio progressa est.

D. XIII^io M. I. Suppuratio medium iam lobum occupat. Pituita summa in parte secreta flavescit quidem, sed valde etiam diluta videtur. Cruda musculorum facies cicatrice magis magisque inducitur.

D. XIV^to M. I. Secretio qualis pridie. Lobus infima in parte, quod papillae ex angulis plurimae egerminant, ad consolidationem cum cruda musculorum facie proclivior est. Ne tamen solidescentibus angulis lobus in brevius contrahatur, emplastri glutinantis taenia [1]) ad infimum vulnus applicata arctius adstringitur.

A d. XV^to usque ad d. XIX^num M. I. Suppuratio totum fere lobum occupat, neque secretio blennorrhoica animadvertitur, nisi in facie duas circiter lineas lata et ipso fere in apice posita. Suppurationi papillae carneae exacte respondent, ubique fere et distinctiores et rubicundiores et firmiores omnino.

A d. XIX^no M. Iun. usque ad d. I^mum M. Iul. Valetudo bona. Aucta nervorum incitabilitas victu lautiori et cortice Peruviano magis magisque imminuitur. Secretio blennorrhoica ad apicem sensim et pedetentim recedens, vita iam omnibus in partibus auctiori, mox suppuratione penitus commutatur. Papillae carneae super totam crudam lobi cutanei faciem aequaliter expansae, et vegetiores quam prius comparent. Lobus perspicue contractus. Cicatrix licet in cruda musculorum facie fere confirmata, in lobi tamen marginibus tardius progreditur.

A d. II^do M. Iul. usque ad d. IV^tum M. Aug. Pus usque dilutum secernitur, et cutis, etsi crassitie valdopere aucta, durior tamen nondum evadit. Qua de causa reiecto zinci unguento, decoctum ulmi saturninum [2]) adhibetur. Brachium quoque involutum mitella commodissime excipitur, nec impedit quidquam, quo minus aegrotus sedendo motibus magis magisque assuescat.

§. 98.

A d. V^to M. Aug. usque ad d. I^mum M. Sept. Pus iam non dilutum. Cicatrix in cruda musculorum facie fere penitus confirmata, in lobo cutaneo etiam comparet spatium lineare a marginibus medium versus undique progressa. Curatio eadem servatur.

1) Cf. L m. l.

2) Rp. Cortic. Ulm campestr. Unc. j. Coq. ex aq. fontan. q. s. ad col. Unc. vjj. Cui adde Plumb. acetic. Drachm. j M.

A d. II^{do} usque ad VIII^{vum} M. Sept. Lobus valdopere imminutus epidermidem repraesentat maxime corrugatam, et pilosiorem omnino, quod undique contracta cute pili nimirum densiores fiunt. Margines ad suppurantem faciem inflecti incipiunt. Cicatrix in cruda musculorum facie omnibus numeris absoluta, in cellulosa lobi cutanei facie augescit. Secretio perspicue imminuta. Valetudine optima medicamenta iam supervacua videntur. Partes crudae seposito ulmi decocto, denuo zinci unguento obligantur.

§. 99.

A d. IX^{no} usque ad d. XXIV^{tum} M. Sept. Interna lobi facies cicatrice latius inducitur, licet media angusta pars cruda remaneat. Cutis excisa iam firmior densiorque sine doloribus varie moveri potest. Margines omnes internam faciem versus inflexi veluti duplicati tamque crassi videntur, ut levi compressione aptius conformari debeant. Ipsam cutis translationem ad tempus differre, quo cicatrix penitus confirmata sit, magis ad propositum facere iudicamus, quandoquidem ne imperfecta cicatrix novis illatis vulneribus recrudescat, et lobus nimia suppuratione absumatur, magnopere extimescendum est. Curatio eadem usque servatur.

A d. XXV^{to} M. Sept. usque ad d. XVIII^{vum} M. Oct. Cicatrix tardius quidem progressa, totam tamen internam faciem occupat. Una tantum exigua cruda pars remanet, ubi lobus cum suppurante olim musculorum facie conterminus est, et cicatrix ut videtur emplastri glutinantis taenia confirmari prohibita est, arctius semper adstricta, ne partes solidescerent. Margines hic illic, et quod lobus maxime contractus est, et ipsi haud mediocriter inflexi sunt, plicis fere sesquilineаribus ad basin praesertim veluti fissi apparent. Ceterum continua pressione fere complanati, iam tumore prorsus vacui videntur. Brachium nusquam tumidum, commodissime quidem movetur, amissam tamen musculorum facultatem nondum recuperavit. Quae quum ita se habeant, nihil iam obstare videtur, quo minus operatio recipiatur.

§. 100.

Priusquam lobi translationem fusius enarremus, exactam cutis excisae descriptionem exhibere liceat, unde facilius intelligi possit, qualis inde a die XVIII^{vo} M. Oct. evaserit. Quo commodius id fieret, quoque clarius lectori cutis conditio ob oculos poneretur, ad quam variis vitae ipsius transmutationibus perducta sit, figuras duas ad naturam exactissime delineatas adiici curavimus. (Vid. Tab. IV. Fig. 2. 3.)

Fig. 3^{ia} brachii et antibrachii partem una cum cubito ita repraesentat, ut musculi bicipitis regio sub adspectum cadat. Inter *a*, *b*, *c*, *d* litteras cicatricem in cruda musculorum facie confirmatam videre est, ad partem *c* reflexo dependenteque lobo (ex industria ita deli-

delineato ut commodius omnia in oculos caderent) aliqua ex parte obtectam. Cicatrix valde tenera adhuc et caerulescens satis lata quidem comparet, non tamen perinde magnum ac vulnus initio spatium occupat [1]). Lobus (*d, e, f*) cum brachii cicatrice comparatus, insigniter quidem imminutus veluti in oculos irruit, cum pristina tamen ipsius amplitudine collatus [2]), qua fuit, quum operationis initium fieret, incredibiliter fere contractus videtur. Externa lobi facies, in imagine nobis adversa, quod margines introrsum inflexi sunt, nonnihil convexa apparet. Rugae ipsius, pilique quibus obsita est curatissime ad naturam delineati sunt. Ad basin aliquot plicas animadvertere licet, earumque duas satis magnas ipsa lobi curvatura ad *e f* litteras denotatas. Lobus perinde coloratus erat atque cetera brachii cutis.

Fig. 2[da] lobi a brachio seorsum delineati faciem internam, quae in Fig. 3[ia] ob undique inflexos margines aversa non conspicitur, admodum concavam exhibet, quae, quod videre est, eminentiis tumidis undique circumdata, eo praecipue insignis videbatur, quod recens inducta epidermis alterum corii, etsi hic, ut in marginibus non duplicati, et internum quidem recens natum integumentum iuxta externum formabat. Quae lobi cutanei pars, pilis omnino destituta, ceteris teneritate praestabat. Rugae externa lobi in facie (Fig. 3. *e, f.*) obiter denotatae, hic totam ipsarum in longitudinem patent. Quam alte in lobum penetraverint ad *e* et *f* litt. conspicere est. Ceterum eundem haec facies quem cetera brachii cutis calorem retinebat.

§. 101.

Variarum cutis excisae transmutationum ratione habita, quibus opus fuit, ut apta ad transponendum evaderet: lobum textura penitus commutatum, tenuem prius, mollem, flexibilem, — crassum, rigidum solidum magis magisque factum esse, qui modo inflammatione, modo blennorrhoea, modo salutari suppuratione usque adeo correptus fuerit, donec et margines et facies cellulosa cicatrice inducerentur, vix mirum videri potest. — Ne id quidem mirandum est, quod penitiorem cutis structuram, cultello inter insequentes operationis actus, ubi supervacuae partes resecari debebant, magis etiam, quam ex oculorum adspectu prius coniici poterat, commutatam deprehendimus. Quam quum paullo accuratius inspiceremus, telae cellulosae in parenchymate conformationem tam auctam quam peculiariter commutatam invenimus. Nam crudae facies fere lacteae parenchyma repraesentabant solidum quidem, nec tamen durum, densis fibris contextum et massa adiposa hic illic intertextum. Quum cutis incideretur, e nonnullis veluti punctis, valde exiguis, rubentibus, et lacteae faciei inspersis, sanguinis non multum emana-

1) Insequente tempore sensim et pedetentim contracta, praeterlapso anno hac ipsius imagine dimidio minor comparuit.

2) Cf. §. 96.

vit. Ceterum et color et textura cartilagineis iisque valde imperfectis et auris et nasi partibus omnino simillima videbatur. Lobi itaque fabrica cum ceteris partibus simplicissimae telae cellulosae advectioribus [1]) accuratius comparata: cutem, amissa peculiaris conformationis indole [2]), generali simplicioris telae cellulosae conformationi [3]) advectiorem, et, quod initio pluribus exponere non dubitavimus [4]), vi regeneratrice ut plurimum auctam, ad transponendum omnino aptiorem fuisse, facile intelligi potest.

§. 102.

Priusquam ipsa translatio enarraretur, transmutationis vitalis periodum, in qua cutis versata est, quum committeretur, curatius recensere necessarium iudicavimus, quandoquidem errorem commissum esse hoc modo facilius demonstrari, et apta cum pristinis experimentis comparatione coniecturale quoddam tempus, quo variae istae transmutationes fierent, commodissime definiri poterat. Igitur comparatis inter se quas et in exemplo nostro die XVIIIvo M. Oct. observare licuit [5]), et Taliacotius [6]) tamquam progredientia vitae stadia egregie demonstravit cutis transmutationibus: lobum, iam consumta virili aetate in senilem provectum fuisse, videre est. Verum cunctandum esse ideo iudicavimus, quod nondum aperta via vix tuto procedere licebat, et penitus confirmata cicatrix maiorem in transferendo lobo tamquam perfecte sano securitatem polliceri videbatur. Quum vero lobus iam virili aetate, qua cicatrix satis inducta erat, igitur primo M. Sept. [7]) die, quo die transversa linea incisa est, commode transferri potuisset: tempus per sex hebdomadarum spatium haud necessario tritum esse intelligere est, neque dubitamus insequentibus experimentis edocti, nimiam accurationem et anxietatem supervacuam fuisse, libere fateri.

Cuius erroris ratione habita, et transmutationum temporibus, quae Taliacotius definivit, cum nostra morbi historia comparatis; cuncta evolutionis stadia, novis experimentis examinata tardius processisse, quam antiquorum observationibus traditum est, clare elucescit. Taliacotius enim praeterlapsis duabus post factas incisiones laterales hebdomadis transversam lineam incidit [8]), quod nostro in aegrotante, incisis lineis lateralibus die VIIIvo M. Maii, VIImo demum M. Iunii die, praeterlapsis itaque quatuor hebdomadis fieri potuit. Perinde longum [9]) temporis spatium incisioni transversae et virilis aetatis initio interponit, nostro in exemplo multo serius observato. Incisa enim transversa linea die VIImo M. Iun. virilis lobi cutanei aetas primo demum M. Sept. die, praeterlapsis itaque tribus mensibus apparuit. Ergo operationis et virilis aetatis initio quatuor omnino mensium spatium interiectum fuit, quamvis Taliacotius eadem progredientis transmutationis signa unius mensis spatia animadvertisset. Quae certe magna temporum differen-

[1]) Cf §. 5. [2]) Cf. l. m. l. [3]) Cf. l. m. l. [4]) Cf. l. m. l. et §. 9. [5]) Cf. §. 100. [6]) Cf. §. 66. [7]) Cf. §. 98. [8]) Cf. §. 64. [9]) Cf. §. 66.

tia perinde magnam inter meridionale et septentrionale coelum diversitatem potissimam causam agnovit. Nam aegrotantis valetudo talia efficere vix potuit, quandoquidem et corpus illius perfecte sanum, iuvenile, robustum, nec ullo malo habitu insigne haud mediocrem vis regeneratricis efficaciam pollicebatur, et ceteris etiam in experimentis eadem temporis ratio observata est.

§. 103.

Translationis dies XIXnus M. Oct. A. MDCCCXVIi indictus erat. Suspenso animo et dubio medici Berolinenses operationis exitum opperiebantur. Qua de causa et amicorum nonnullos naturali historia imbutos, et primarios rerum medicinalium curatores una cum medicis et chirurgis celeberrimis auditoribusque nostris ad operationem invitavimus. E quorum permagna quam auditorium vix capere videbatur multitudine Perill. Brühl, Comitem S. R. M. summum spectaculis praefectum, egregium artium litterarumque et aestimatorem et cultorem, neque minus Viros Perill. Hufelandium et Langermannium a Consiliis Status, Ill. Rudolphium, Berendsium, Heymium, Richterum, a Consiliis rerum medicinalium intimis, et Bernsteinium Professorem nominasse sufficiat. — Jüngkenius D. qui laudabili et studio et calliditate aegrotantem usque curaverat, et Michaëlis D. una cum Beerio D. Nary, praefecto chirurgis superiori, et Martensio, chirurgo primario ministrorum munere fungentes, conspicua aeque animi attentione ac dexteritate plurimum ad operationem et citius et tutius perficiendam fecerunt.

Aegrotante sicut praeceptum est [1]) praeparato iamque in sedili posito, lobum ita transtulimus, quemadmodum prius satis superque expositum est [2]). Mediocre e lobo cutaneo profluvium vix ullum auxilium exegit, e curto naso frigida facillime cohiberi potuit. Septum osseum sub nasi ossibus valde prominens et accuratam lobi ad curtum nasum applicationem praepedire visum, forfice ossibus frangendis ubi necessarium videbatur resecuimus. Alarum nasi reliquias, quibuscum lobus apte committeretur, integras servavimus [3]). Cuti exactissime adaptandae tres utrinque (sex in universum) fibulae sufficere visae sunt. Lobus exacte quidem ad curtum nasum respondit, crassitie tamen haud mediocriter auctus, confines nasi mutilati facies oris facilius supereminens filis fortius adstrictis aegre retineri potuit. Prosperrime immissa sutura, brachio apte ad caput applicato, et adaptatis sicut expositum est ligamentis [4]), aegrotus lecto traditus est.

Sub vesperam inquietudinem et humeri aeque ac antibrachii dolores conqueritur, pulsu parvo non admodum frequente. Exhibito opio et partibus dolentibus linimento volatili perfricatis requiescit. Potus acidulus cochleari immittitur.

D. XXmo M. Oct. Vigiliae. Extimescit enim ne partes dimoveantur. Dolores humeri et antibrachii tensivi, caput gravatum, facies rubicunda, cutis lobus evanescen-

[1]) Cf. §. 78—80. [2]) Cf. §. 87. [3]) Cf. §. 37. [4]) Cf. §. 87.

tibus plicis tumidus, ambitu haud mediocriter aucto, et colore vegeto; commissura coagulabili lympha inducta, pulsus plenus, moderatus. Antibrachium et humerus linimento antispastico [1]) perfricantur. Ceterum cremor tartari exhibetur, aegrotus pulticula vescitur et aquam citratam sorbet.

A d. XXI^mo^ usque ad d. XXII^dum^ M. Oct. Somnus nullus. Cutis lobus magis etiam rubescit intumescitque. Commissura humidior apparet et naribus immissae turundae secretis humoribus madent. Cicatrix in brachio hic illic recrudescens multum humorem secernit. Gena sinistra in qua brachii cruda pars posita est, rubet crudescitque. Dolores et humeri et antibrachii mediocres. Commissura balsamo Commendatoris illinitur, naresque exemtis turundis exacte mundificatae, postquam aqua saturnina siphunculo immissa est, novis turundis zinci unguento inductis occluduntur. Gena ne amplius crudescat aqua saturnina humefacta, brachium unguento cerussae obligatur. Victus ratio aeque ac humeri antibrachiique perfrictiones quales d. XX^mo^.

A d. XXIII^tio^ usque ad d. XXVII^mum^ M. Oct. Somnus placidus. Humeri brachiique dolores nulli. Valetudo optima. Aegrotus quietissimus prosperum successum gaudet. Partes dextro in latere tam firmiter consolidatae, ut leviter utralibet adductae, facile sequantur. Haud perinde unitae in nasi dorso et infima sinistra in ala apparent. Fila, quod incidere incipiunt una cum bacillis eximuntur, in foramina balsamum Commendatoris e penicillo demittitur, ceteraque curatio eadem usque servatur.

A d. XXVIII^vo^ usque ad d. XXXI^mum^ M. Oct. Valetudo commoda. Orae dextro in latere et medio in sinistro penitus inter se unitae sanaque epidermide inductae, in nasi dorso ac infima sinistrae alae parte dehiscunt. Ceterum cutis translatae margo, qui sutura fortius adstricta vix retineri poterat, nasi faciem supereminet. Ipsa pallescere quidem videtur, nova tamen consolidatione sanum habitum perinde ac turgorem vitalem auctiorem magis magisque adipiscitur. Brachii cicatrix valde etiam humida apparet, et sinistra gena continuo crudescit. Dehiscentes orae balsamo Arcaei deligantur, ceteraque deligandi ac victus ratio eadem usque servatur. Proximum diem quo lobus de brachio resecetur indicimus, quod et partes penitus consolidatae sunt, et humescens brachii cicatrix quum in crudis auctiorem suppurationem excitare, tum consolidatas emollire et distrahere videtur.

§. 104.

I^mo^ itaque M. Sept. die, post immissam suturam decimo quarto, lobus incisura [2]) ipso fere in brachio producta resecatur. E cruda translatae cutis facie sanguinis non

[1]) Rp. Liniment. ammoniat. camphorat. unc. j. Tinctur. Opii simplic. unc. sem. M.

[2]) Cf. §. 88. 89.

multum aut nihil emanat, e brachio perspicuum, modicum tamen sanguinis profluvium. Translatus cutis lobus, qui brachii ista positura diutissime servata, sursum reflexus apparet, rubore non minus quam calore continuo destituitur, qua de causa agarico protinus in crudam faciem imposito, suppurantibusque et dorsi et alae nasi sinistrae oris balsamo Arcaei obligatis, faciem ligamentis sicut praeceptum est [1]) haud cunctanter excipimus, novumque nasum bombyce aromatico [2]) quam accuratissime operimus.

Brachium a ministris usque capiti propius retentum novo in vulnere agarico, cruda in cicatrice zinci unguento obligatur et ita sensim pedetentimque detorquetur, ut involutum mitella commodius excipiatur. Aegrotus in lecto requiescere iussus pulticulis vescitur.

D. II^{do} M. Novembr. Valetudo optima. Translatae partis color aeque ac temperatura quales antequam resectio facta est. Ambitus denuo haud mediocriter auctus. Deligandi et victus ratio qualis pridie.

D. III^{tio} M. Novembr. Sursum reflexa cutis iustam posituram magis magisque obtinet. Curatio eadem.

D. IV^{to} M. Novembr. Agaricus de brachio deque novo naso delabitur. Utraque cruda facies pure et papillis carneis minutioribus inducta apparet. Dehiscentes orae papillis carneis excrescentibus luxuriant. Cutis transposita valde etiam tumida infima parte nondum satis deflexa, quo aptius figurata evadat, agglutinatis emplastri taeniis caute detorquetur. Suppurantes commissurae partes impositis emplastri glutinantis taeniolis, quantum fieri potest, inter se committuntur. Praeterea crudam transpositae cutis faciem delapso agarico, linamento super quod balsamum Arcaei expansum est, servata ceterum deligandi ratione obligari curamus.

A d. V^{to} usque ad d. XVI^{tum} M. Novembr. Crudi cutis margines etsi vegetis papillis carneis inducti, nondum tamen ad consolidationem proclives, lapide infernali subinde incitantur. Lobi tumor subsidit. Novissimam crudam faciem optimis papillis carneis inductam videre est. Profluvium e nasi cavo adeo imminutum commutatumque, ut immissae turundae pituita tantum madeant. Curationem mutare nondum necessarium est.

A d. XVII^{mo} usque ad d. XXV^{tum} M. Novembr. Reflexa cutis emplastri taeniis comprehensa aptius magis magisque figuratur. Orae nondum inter se commissae usque crudescunt. Novissima cruda facies toto in ambitu cicatricem repraesentat. Curatio qualis pridie.

A d. XXVI^{to} M. Novemb. usque ad d. I^{mum} M. Decembr. Emplastri glutinantis taeniae

1) Cf. §. 87.

2) Cf. l. m. l.

nec ipse lapsis infernalis aliquos effectus exserunt. Qua de causa ferrum candens in usum vocare eo minus dubitamus, quo probabilius adustas suppurantes oras excitata inflammatione exsudatoria commissum iri coniici potest [1]). Aduruntur itaque dehiscentes in nasi dorso margines, quorum aptam consolidationem plurimum ad meliorem nasi conformationem facturam esse in confesso est. Adustum vulnus unguento quodam excitante [2]) obligatur. Usque crudescentes sinistrae alae margines perinde ac prius curantur, quod nimia partium irritatio haud negligendum certe detrimentum affert.

A d. II^do^ usque ad d. VIII^vum^ M. Decembr. Vulneris in nasi dorso ustio prosperum successum habet. Orae enim magis magisque solidescunt. Solum foramen superest, quod, licet exiguum sit, minus tamen ad consolidationem pronum videtur, et ipso cum nasi cavo communicat. Suppurantes sinistrae alae margines cicatricem repraesentant. Secretio in nasi cavo usque imminuitur. Curatio nondum mutatur.

A d. IX^no^ usque ad d. XV^tum^ M. Decembr. Ustio quod optimos effectus exseruit, in nasid orso iteratur. Brachii vulnus quotidie simplicissime deligatum perfecta cicatrice magis magisque inducitur. In curatione nihil novi.

A d. XVI^to^ usque ad d. XXXI^mum^ M. Decembr. Foramen penitus clausum. Sinistrae alae margines cicatrice inducti fissuram repraesentant. Novissimo translatae cutis in vulnere cicatrix penitus confirmata et nasi apex adeo depressus apparet, ut ipsum fere ad os pertineat. Iam subsidente cutis tumore et lobo aptius figurato, quae ad reliquam conformationem spectant melius diiudicari possunt. Translata cutis magis arcuata adeoque crassa est (et manet quidem in posterum) ut curti nasi faciem superemineat. Priusquam septum conformetur, et nasus aptius figuretur, necessarium est sinistrae alae fissuram committere, cuius operationis proximus dies indicitur. Curatio eadem.

D. I^mo^ M. Ianuar. A. MDCCCXVII^mi^. Dehiscentes sinistrae alae margines scalpello acuminato angustiori [3]) vulnerantur. Quod inter manuum opus quum cutis particula de nasi ala resecatur, vehementem, quum translata cutis inciditur, vix ullum dolorem aegrotus conqueritur. Committendis inter se marginibus duo bacilla ligatoria [4]) sufficiunt. Deligandi ratio eadem usque servatur.

D. II^do^ M. Ianuar. Vehementes tota in facie dolores. Vulneris orae rubescunt. Nasus, et quod novis laesionibus valdopere irritatur, et undique fere e commissis vicinis

1) Et ferramentis quidem eadem forma et magnitudine utimur, quam urendis palpebris convenire alias demonstravimus. Cf. C. F. Graefe, Repertorium augenärztlicher Heilformeln. §. 461. p. 211.

2) E Balsami Arcaei et Peruviani aequalibus partibus mixto.

3) Cf. Tab. V. Fig. 7.

4) Cf. §. 44.

partibus vis vitalis conflatur, calore haud mediocriter augescit. Ne nimis irritetur, bombyx aromaticus reiicitur; ceterum in curatione nihildum mutandum esse iudicamus.

D. III^io^ M. Ianuar. Inflammatione imminuta, vulnus perfecte solidatum est. Fila, quod cutem incidunt, eximuntur et commissura una cum foraminibus balsamo Commendatoris illinitur.

A d. IV^to^ usque ad d. IX^num^ M. Ianuar. Nova commissura epidermide quidem inducta est, infima tamen ipsius pars eaque vix linearis etiam fissa suppurat. Adhibetur balsamum Commendatoris et necessarium est emplastri glutinantis taeniolas imponere, quibus vulnusculum apte contractum facilius solidescat. Curatio qualis prius.

A d. X^mo^ usque ad d. XVIII^vum^ M. Ianuar. Sinistrae nasi alae vulnusculum solidescit. Nimia translatae cutis irritatio perspicue imminuitur. Brachium penitus sanatum doloribus vacuum, perfecte mobile. Novus nasus usque servata deligandi ratione bombyce aromatico operitur. Brachium nulla amplius curatione indiget.

A d. XIX^no^ usque ad d. XXV^tum^ M. Ianuar. Cicatrice sinistra nasi in ala confirmata, nusquam suppuratio animadvertitur. Appropinquante itaque septum efformandi tempore, infima translatae cutis pars emplastri taeniis excepta magis magisque inflectitur ut transverse posita ad nasi cavum pertineat. Ceteram deligandi rationem mutare vix necessarium est.

A d. XXVI^to^ M. Ianuar. usque ad d. IV^tum^ M. Februar. Translata cutis iam ita figurata est, ut septum proximo die conformari possit.

§. 105.

D. V^to^ M. Februar. Septi conformatio valde quidem procrastinata videtur, siquidem a primo M. Novembris die, quo die lobus de brachio resectus est, tres menses praeterlapsi sunt, variae tamen difficultates et sera cicatricis confirmatio quae XXVI^to^ demum M. Ianuarii die perfecta apparuit, hanc operationem quo minus prius fieret impedierunt, nisi cutis lobum iteratis incisionibus nimis irritatum absumi volueris.

Taliacotius [1]) quidem, quod expositum est, narium excisionem septique suturam interiecto temporis spatio fieri praecipit, quo recentia, quibus opus est, ut nares septumque conformentur, translatae cutis vulnera penitus sanescant: nostro tamen in aegroto narium excisio una cum septi sutura eo commodius fit, quo solidior translatus cutis lobus et cartilagini fere similis nullo modo nec in angustius, nec in brevius contrahi potest.

Naribus, sicut praeceptum est [2]), et sine ullis quidem doloribus excisis, septum protinus duobus bacillis ligatoriis [3]) quam accuratissime comprehenditur. Translatae cutis margo, quod a septo suffultus intumescit, curti nasi faciem magis etiam super-

[1]) Cf. §. 72. [2]) Cf. §. 92. [3]) Cf. L. m. l.

eminet. Hoc vero incommodum quum vix ullam hoc tempore curationem admittat, prorsus negligendum est. Adaptatis igitur bacillis ligatoriis [1]), nasus ita deligatur, quemadmodum alias fusius expositum est.

D. VI^to M. Februar. Saturatus nasi rubor et tensivi faciei dolores inflammationem post novissimas laesiones vehementiorem indicant, ideo haud dubie coortam, quod translata cutis totum fere ad ambitum consolidata auctiori vi vitali instructa est. Praeterea auctam nasi sensilitatem aegrotus percipit. Apparentibus perfectae consolidationis signis, septi commissura balsamo Commendatoris illinitur, et nasus bombyce vulgari involutus (aromatico enim iam non opus videtur) sicut praeceptum est, deligatur.

D. VII^mo M. Februar. Septo penitus consolidato, sutura eximitur. Necessarium tantum est, servata ceterum deligandi ratione, novum nasum agglutinatis emplastri taeniis retinere.

§. 106.

A d. VIII^vo usque ad d. XII^mum M. Februar. Cicatrix omnibus numeris absoluta. Translata cutis tepido quidem aëre eodem quo cetera facies calore est, frigido tamen et prius quam vicinae partes frigescit, et anserina fit quemadmodum in brachio. Pili e pallescente novo naso plures quam ceteris faciei ex partibus excrescunt. Quae quum ita sint et cicatrix totum ad ambitum confirmata maximam securitatem polliceatur, nasum iam aptius figurare licet. Igitur turundarum loco tubuli plumbei [2]) in nares immittuntur, et molesta marginum prominentia adaptatis laminis plumbeis nasi compressorio [3]) quantum fieri potest cohibetur. Cutis usque bombyce involuta commodius deligatur. Iam liberalem victum exhibere licet, nec amplius aegrotum severioribus praeceptis coërcere necessarium est, nisi quod aër frigidus omnimodo defendendus videtur.

A d. XIII^tio usque ad d. XXVII^mum M. Februar. Adhibita adminicula margines quidem complanant non multum et nasi apicem subtiliorem reddunt, tumidam tamen et angulosam crassioris [4]) cutis oram nondum satis deprimere possunt. Quae molesta et deformis prominentia vix aliter ac secando curari potest. Admoto igitur scalpello minori et acie convexa, quod in Tab. V^ta (Fig. 3.) delineari curavimus, prominentes margines ductu apte directo ita resecamus, ut curti nasi facies in translatae cutis faciem aequaliter transeat. Quae transpositae partis vulneratio quum praegressae inter excidendum laesiones absque ullo dolore illatae sunt, licet mediocrem sensibilem

1) Cf. §. 92. 2) Cf. §. 93. 3) Cf. L. m. l. 4) Cf. §. 103.

lem tamen dolorem excitat. Vulnere zinci unguento obtecto, cetera deligandi ratio eadem servatur, quam d. VIII^vo^ M. Februar. convenire iudicavimus.

A d. XXVIII^vo^ M. Februar. usque ad d. V^tum^ M. Mart. Novissimum vulnus cicatrice penitus inductum apparet. Tubuli plumbei aeque ac nasi tectorium usque adhibentur, ne nasus rudior evadat. Bombyx aromaticus, quod nasus aëre frigido facilius frigescit, nondum reiici potest.

A d. VI^to^ M. Mart. usque ad d. X^mum^ M. April. Translata cutis iam melius figurata et penitus solida et apte arcuata apparet. Ipsa quoque sensilitate magis magisque augescit et nasi color faciei colori iam similior evadit. Quod eo magis mirandum videri potest, quod translata cutis, etsi integumentis usque involuta et a luce prorsus defensa faciei tamen naturam iam penitus adipiscitur, atque curti nasi cutem undiqne adeo adducit, ut hic maior omnino, ipsa vero minor videatur, pristina itaque ambitus ratio perspicue commutata appareat.

A d. XI^mo^ usque ad d. XIX^num^ M. April. Novus nasus colore vegeto magis magisque inducitur, nec aëre frigido facilius frigescit. Figura quoque in dies aptior evadit. Ceterum nihil novi, nisi quod tempestate secunda atque calida quaecunque nasi integumenta iam supervacua videntur. Aegrotanti libere ambulare licet, et tubuli aeque ac tectorium subinde tantum ad nasum applicantur, licet alternatim, ne nasus omnibus numeris absolutus, denuo rudiorem formam obtineat, per plures etiam menses adhibeantur necesse sit.

§. 107.

Nasus quum ita ad vivum restitutus esset, exeunte mense Aprili resarcitam convalescentis faciem quam accuratissime delineari curavimus. Effigies in Tab. II. (Fig. 2.) obvia in nasi dorso crenulam inter curtum nasum et translatam cutem repraesentat, foraminis ferri candentis ope consolidati vestigium. Dextro in latere servata alae nasi pars et cicatrix qua cum transposita cute commissa est, in oculos cadit. Alteram quoque narem nasique apicis figuram videre est. Sinistram partem delineare, quum dextrae simillima esset, vix necessarium fuit. Nasus deformis quidem et vulneris impacti vestigia referre, ab omni tamen dehonestamento liber videbatur. Ceterum maxima convalescentis laetitia non solum faciei colorem obtinebat, quum sole tepelieret, sed quibuslibet etiam a causis perinde atque cetera facies commutabatur.

§. 108.

Quae quum ita se haberent, exeunte mense Aprili A. MDCCCXVII^mo^ convalescentem Sacrae Regiae Maiestati et Regiae domus Principibus repraesentavimus, qui prosperum operationis successum omni laude dignum habuerunt.

D. VII^mo^ M. Novembris A. MDCCCXVII^mo^ sanatum Societati medicorum Berolinensium, praeside Perill. Hufelandio, a Consiliis status, ostendimus, quorum plures restituti nasi figuram multo aptiorem videri, quam in effigie, mense Aprili, igitur octo menses prius delineata, quae aëri incisa est, sibi persuasum habuerunt, magno propositi illius argumento, quod novi nasi progrediente aetate eo aptiorem figuram nanciscuntur, quo penitius cum facie uniti longiori temporis spatio vi regeneratrice augescunt, ideoque pristinam formam magis magisque recuperant. Ceterum illam opinionem, qua nasi ad vivum restituti frigore admisso facilius absumuntur, prorsus vanam esse, ex eo intelligi potest, quod sanatus mense Ianuario A. MDCCCXVIII frigore quatuordecim graduum (scalae Reaumurianae) Berolini per plures dies obtinente, in officina ferraria nudo naso absque ullo detrimento opus fecit.

SECTIO V.

Methodus Germanica.

§. 109.

Germanica nasum ad vivum restituendi methodus ex Indica et Italica, prosperrimo successu frequentatis, nata est. Illam inde a remotissimis temporibus ad hodiernum diem usque nunquam mutatam formam induisse, sed sola frontis cute Coomas usos esse, qua curtos nasos restituerent, ex historica parte videre est. Quinetiam recepta a Britannis medicis, ceterarum methodorum vel maxime ignaris, experimentis quidem illustrata, nulla tamen cum istis fructuosa comparatione examinata, ita usque frequentata est, quemadmodum ab antiquissimis auctoribus et excogitata et posteris tradita est [1]).

Iam Italicae Rhinoplastices ratione habita, praestantissimos medicos Calabros solam brachii cutem qua nasos resarcirent in usum traxisse, frontisque cutem [2]) theoreticis quibusdam opinionibus adductos translationi minime idoneam habuisse, mirum videri potest.

Ipsi, quod antea nunquam factum esse modo traditum est, Indicam et Italicam methodum simul frequentare eo maiorem utilitatem praebere indicavimus, quo clarius separatione earum artis magnitudinem deminui intelligi poterat. Ita tandem factum est, ut utriusque cum proprietates innotescerent, tum commoda fere paria inter se evadere compertum haberi posset. Quantum enim Indica methodus lobum modo exemtum transferendo ad citiorem sanationem facit, tantum Italica cutem brachii cicatrice inductam adhibendo, licet aegroto tardius sanescente, tutius tamen curationem subeunte, nec ullo frontis cicatrice dehonestato ad prosperum operationis successum confert. Quinetiam diversas inter se rerum conditiones hanc vel illam methodum in usum vocari modo iubere, modo vetare [3]), fieri itaque posse, ut utriusque commoda usque adhuc separata,

[1]) Cf. §. 15. 18. 19. — Carpue germ. ed. Michaelis, nostrum prooemium p. VIII. cum annotatione. — Eiusd. operis p. 7. 10. 17. 20.

[2]) Cf. §. 14. — Taliacot. de Curt. chirurg. Lib. I. p. 58. [3]) Cf. §. 17. 60.

prudenter inter se unita maiorem securitatem pollicerentur, experimentis probatum est. — Haec sententia ad inveniendam novissimam cutem transponendi methodum, qua cutis lobus modo e brachio exemtus neque cicatrice aliqua inductus, protinus cum curto naso in unum adducitur, provocavit. Germanicam ideo nominavimus, quod in Germania et nata est et incrementum cepit. Ipsam ceteris inter quas veluti media intercedit, sine ulla dubitatione longe praeferendam esse, e plurimis quae affert commodis clarissime intelligi potest. Fructuosissima enim et minus molesta primum eo evadit, quod, quum lobus perinde magnus atque amissa nasi pars excidendus sit, vulnus haud aeque magnum brachio infertur, ac adhibita Italica methodo, quae, quum cutis per longius temporis spatium praeparanda, e tribus quadrantibus diminuatur, vulnus, ne cutis translationis tempore deficiat, triplo [1]) longum latumque exigit. Tum cutis protinus cum facie commissae crassities curto naso magis respondet, commodius itaque cum oblatis crudis partibus in unum adduci potest, quam in Italica methodo, qua in usum vocata lobus ad virilem aetatem usque praeparatus marginibus revolutis crassioribusque et difficilius sutura comprehenditur [2]), neque convenientem nasi figuram pollicetur. Deinde adhibita Germanica methodo, nasus intra mensis vel sex saltem hebdomadarum spatium perfecte sanescit, qui Italica methodo in usum vocata, vel pluribus mensibus vel anno integro vel serius etiam [3]) ad aliquam perfectionem perducitur. Denique cranium nudare haud necessarium est, quod ancipite eventu fieri suo loco demonstravimus. Postremo, quod Indica methodus confirmata in fronte cicatrice dehonestamentum, quasi perpetuum medicorum opprobrium relinquit, id Germanica methodus, quae decori solummodo prospicit, nullum affert.

Quibus propositis, maxima rhinoplasticen incrementa cepisse praesertim ex eo patet, quod ipse Taliacotius, chirurgorum qui in hac parte elaboraverunt, facile versatissimus: nulla ratione fieri posse [4]), ut lobus modo excisus cum curto naso committeretur, sibi persuasum habuit, ac virilem aetatem [5]) utique expectandam esse perpetua regula praecepit.

§. 110.

Germanicam methodum tot et tanta commoda pollicitam, non omnibus corporibus convenire, sed certum perinde ac Italica et Indica aegrotantis habitum, certasque sub

[1]) Cf. §. 81. 100.

[2]) Cf. §. 100. 106. 107.

[3]) Cf. Taliacotius de Curt. chirurg. Lib. II. p. 21, 31, 65. — Nostrae sententiae: §. 107.

[4]) Cf. §. 66. — Taliacotius l. c. Lib. II. Cap. 7. p. 21, 22. Cap. 10. p. 52.

[5]) Cf. L. m. l.

quibus adhiberi debeat rerum conditiones sibi exposcere, maxime dolendum est. Quas accuratius recensere eo magis necessarium est, quo facilius commissi in diiudicandis indicationibus errores irreparabile detrimentum afferunt.

Optima prosperi successus spes de Germanica methodo haberi potest, si corpus perfecte sanum nec ullo malo habitu insigne, cute perinde sana, vegeta, solida, eaque mobili ac omni morbosa irritabilitate [1]) (vulnerabilitatem dicunt) libera inductum est. Nam Germanicam methodum vitae cutis actuositatem prae ceteris sibi exposcere, ex eo praesertim intelligi potest, quod lobus statim cum facie in unum adductus et undique fere vulneratus, nimiae irritationi fere impar, gangraena vel suppuratione facillime absumitur.

Contra, ne Germanica methodus infelicem eventum habeat, summopere extimescendum est, si brachii utriusque cutis laxa, languida neque satis mobilis, vel squalido colore inducta est, vel aliquo vitio laborat, et corpus omnino ita se habet, ut ipsa ab Italica methodo prorsus abstinendum videatur [2]). Deinde omnis nimiae cutis irritabilitatis suspicio et malus corporis habitus nondum penitus exterminatus, Germanicam methodum in usum vocari vetant. Denique si peculiares rerum conditiones vel ad Indicam methodum vel ad Italicam provocant [3]), Germanicam iis postponendam esse, per se patet.

---

§. 111.

Norma, ad quam Germanica methodus dirigenda est.

Quas Germanicae methodi regulas ponimus, eae experimentis novissime institutis nituntur, et nisi omnibus, longe plurimis tamen exemplis, ut omnia quum universae artis medicae, tum chirurgiae [4]) praecepta conveniunt. Medicorum enim ingenii et acuminis esse, ut praecepta generalia ad peculiarem aegrotantis naturam quam accuratissime directa hac vel illa ratione et commutentur et modificentur, quod iam satis cognitum est, omittendum videtur.

A. Germanicae methodi pars prima.

Lobi e brachio excisi translatio.

Actus primus. — Praeparatio.

§. 112.

a) Aegroti praeparatio.

Quae Indica in methodo praecepta ad aegrotantis praeparationem pertinentia tra-

[1]) Cf. §. 17. [2]) Cf. §. 60. [3]) Cf. §. 17. 16. [4]) Cf. §. 20. 77

dita sunt, ea in Germanica etiam valent, qua in usum vocata, temporis, victus et medicaminum ratio eadem [1]) est atque in illa. Nonnulla quae ad Germanicam Rhinoplasticen proprie pertinent, accuratiorem expositionem exigunt.

Cutis e medicamentis spirituosis infrictiones [2]), quas Indica methodus in fronte, Germanica in brachio fieri praescribit, eadem cautela instituendae sunt, quam ad prosperum Indicae methodi successum plurimum conferre traditum est.

Quo facilius brachii musculi incommodae positurae assuescant, neque ipsam inter curationem vehementius doleant, necessarium est, proxima hebdomada vestimentum deligatorium [3]) perinde ac si operatio facta esset, subinde ad aegrotantem applicare. Qua exceptum brachium noctu usque retineri et interdiu liberum manere, melius est, quam ligamentis perpetuo comprehensum molestissime protinus distendi atque distorqueri. Ceterum ligamenta prius ad aegrotum applicata satis adducta extensaque et corpori facilius adaptari, neque ipsam inter curationem lintei taeniarumque laxitate et extensione ad malum operationis eventum facere possunt.

Capillos a vertice dirimi et utrinque retrorsum depexos accurate componi curavimus. Desecare enim, quod Taliacotius [4]) praecipit, haud necessarium visum est. Collecti in vertice quoddam veluti pulvinar faciunt, mobile, cui brachium impositum facillime dimoveri potest. Barba, ne cutis agglutinatis emplastri taeniis doleat, et defluente sanguine pureque facilius inquinetur, novacula sicut Taliacotius praecipit deradenda est.

Paullo ante operationem tunicam aegrotus induat necesse est [5]), qua accuratissime accommodata et cucullo commode reflexo, collum cum cervice, pectore et gremio aegrotantis mappis ita circumdandum est et contegendum, ut lintea profuso sanguine nusquam inquinari possint. Nam aegrotum plures per dies cruentis sordidisque vestimentis adiacere, flagitium est, et ista lintea a sanguine profluente defendendi ratio plus omnino conferre videtur, ac si tunicam cum cucullo serius iam exciso lobo et immissa sutura applicari volueris, quo operatio non solum molestissime protrahitur, sed vehementes etiam dolores excitantur, partesque inter se commissae maximo aegrotantis detrimento facillime dimoveri possunt.

§. 113.

b) Supellectilis apparatus.

In adornanda supellectile easdem Germanica methodus regulas agnoscit, quae alias [6]) iam satis expositae atque illustratae sunt. Quae enim ad delineationem [7]), sectiones [8]), sanguinis cohibitionem [9]), suturam [10]), deligationem [11]) et aegrotantis refectionem [12]) pertinent, ea quemadmodum in Indica methodo praeceptum est, ita et in Germanica

1) Cf. §. 21. 2) Cf. l. m. l. 3) Cf. Sect. VI. §. 156. 162. 4) Cf. §. 67. 5) Cf. §. 162. 6) Cf. §. 22. 7) Cf. §. 23. 8) Cf. §. 24. 9) Cf. §. 25. 10) Cf. §. 26. 11) Cf. §. 27. 12) Cf. §. 28.

circumspecte paranda et ex ordine disponenda sunt. Praeterea aluta alba magnitudine chartae lusoriae qua incisionum in brachio et longitudines et directiones denotentur, opus est. Nam tunicam cum cucullo [1]) quibus brachium exceptum retineatur et linteolum triplex sex pollices in quadratum habens et altera facie multo unguento rosato inductum quo brachii vulnus contegatur, ad manus esse debere, vix commemoratu dignum videtur.

§. 114.

c) Ministrorum institutio.

Quo et citius et tutius et commodius operatio procedat, sex ministrorum auxilio opus est, quorum quinque easdem [2]) quas in Indica methodo accuratius commemoravimus, partes in se suscipiunt, et sextus aegroti brachium usque retinet, iussus ad antibrachii porrecti eiusque a corpore aversi latus extensorium consistere, quo facilius manum cubitumque suffulcire possit. Ceterorum qui pone aegrotantem constitit, humerum, dum brachium inciditur manibus fortiter comprehensum complecti et retinere iubetur. Dum curtus nasus inciditur, ille brachium, hic caput aegroti retinet. Qui ambo ministri medico in adaptandis quoque ligamentis auxilium ferre et nimirum probe exercitati esse debent [3]), ne et brachium imperitius figurent, et ligamenta, quae sibi respondeant necesse est, commutent atque confundant.

Actus secundus.

Demensio. Delineatio.

§. 115.

Demensio partium et delineatio in antiqua Indica [4]) et Italica [5]) methodo ab antecessoribus nostris prorsus quidem neglecta est, magnam vero in hoc operationis actu [6]) accurationem adhibendam esse, vix necessarium videtur pluribus commonstrare. Ceterum talis Germanica in methodo demetiendi delineandique ratio servatur, qualem in Indica experimentis illustratam explicavimus [7]).

§. 116.

Nasi exemplum regulis suo loco traditis [8]) parandum est. Quale archetypum a latere conspectum in Tab. V[ta] (Fig. 5.) delineari curavimus, ut Indica in methodo demetiendi ratio clarius eluceret, tale ad Germanicam pertinens et adhibitum in puella cuius morbi historia [9]) in extrema hac sectione enarrabitur, Tab. IV[tae] Fig. 4. repraesentat.

[1]) Cf. §. 156—162. [2]) Cf. §. 29. [3]) Cf. Sect. VI. §. 162. [4]) Cf. §. 30. [5]) Cf. §. 87. [6]) Cf. 30—36. [7]) Cf. Sect. III. Act. 2. [8]) Cf. §. 31. [9]) Cf. §. 146—154.

§. 117.

Parato nasi archetypo, basis in facie delineatur, praeceptis ante expositis [1]. Qua accuratissime delineata, (cf. Tab. V. Fig. 4. ad litteras *l m n*) ad denotandam utramque excisuram lateralem et transversam, quas figura modo laudata ad litteras *o p*, *q r*, et *s* exhibet, transeundum est. Hac delineationis in parte aliquam Germanica methodus ab Indica differentiam agnoscit. Nam laterales lineae, quas Indica methodus interiecto inter summam partem spatio separari praecipit, in Germanica ita producendae sunt, ut baseos lineam nusquam derelinquentes uno tenore altera in alteram transeant, atque excisuram designent nusquam interscissam et omnibus in partibus aequaliter latam. Excisuram transversam (Tab. V. Fig. 4. s.) delineare, quod in Indica methodo necessarium est, in Germanica supervacuum videtur. Quaenam huius differentiae rationes sint, e diverso lobi sutura comprehensi cum ceteris partibus unde nutritur, nexu facile intelligi potest. Lobus enim, qui in Germanica methodo infima parte cum brachio cohaeret, superioribus in partibus maiorem crudam faciem sibi exposcit, unde solidescentes orae nutrimentum accipiant. Contra cutis quam Indica methodus summa in parte fronti adhaerere iubet, infima in parte protinus cum facie in unum adducatur, septum itaque efformatum cum excisura committatur necesse est. Cuius differentiae ratione habita, excisurae laterales ita delineandae sunt, quemadmodum alias [2]) exacte demonstravimus.

§. 118.

Delineata basi et excisuris lateralibus, ad cutis transponendae demensionem transeundum est. Cuius praecepta iam §. 54. exactissime et ita quidem explicavimus, ut solummodo necessarium sit, expositionem quae ad quintam et octavam V^tae Tab. figuram pertinet, ad IV^tae Tab. quartam et sextam referre, quo clarius iste Germanicae rhinoplastices actus illustretur. Obiter hic commemorandum est, quam schedulam mensoriam Tab. IV^tae Fig. 6ta delineatam repraesentat, ea ad delineandas incisiones in puella nos usos esse, cuius morbi historia extrema hac sectione accuratius enarrabitur. Ceterum lobi cutanei ambitus hoc modo commodissime inveniri potest. Archetypi argillacei ambitus perinde examinetur, et singulae longitudines latitudinesque in schedam transferantur [3]), atque in Italica methodo [4]) traditum est. Ita mensura delineatur, quam Fig. 6. intra litteras *a*, *h*, *i*, *q*, *d*, *r*, *k*, *f* repraesentat. Deinde necessarium est, delineatam men-

[1]) Cf. §. 52. [2]) Cf. §. 53. [3]) Cf. §. 54.

[4]) Quod commodissime charta in oleo tincta fieri potest, qua chalcographi in figuris accuratius delineandis utuntur, nimirum ad hunc usum aptissima. Quum enim pellucida sit, imposita tabulis linearum ductus quam exactissime repraesentat, ideoque plurimum confert, ubi figuras accuratius excipi magnopere interest.

mensuram ita commutare, ut ad Germanicam lobum transferendi methodum respondeat. Quum enim lobus quadrantem longior esse debeat, opus est, ut linea *a d*, e quadrante usque ad punctum *p* prolongata, linea transversa *l m* producatur, quae totius lobi veluti basin constituat. Quo facto, altera et tertia linea, non multum curvata, quarum convexitates introrsum pertineant necesse est, inde a punctis *h* et *f*, ubi lobus maximam in latitudinem patet, ad lineam transversam (*l m*) usque ita producuntur, ut terminatae in punctis *n* et *o* spatium baseos complectantur, tres saltem maximae lobi latitudinis (*h f*) tertias longum, quod e comparatione istorum spatiorum (*h f*, *n o*) facillime intelligi potest.

Quodsi figuram sextam accuratius examinare placuerit, delineationem duplicem mutationem subiisse, facile animadvertetur. Servata enim lineae *h*, *g*, *a*, *e*, *f* quae archetypi ambitum exhibet, latitudo et longitudo inde ab ea parte, qua nasi radix efformanda est, summam scilicet in latitudinem patente, haud mediocriter aucta est, quod e compartaione linearum *h*, *i*, *q*, *d*, *r*, *k*, *f*, quae pristinae, et *h*, *n*, *p*, *e*, *f*, quae commutatae mensurae ambitum repraesentat, clarissime elucescit.

Quibus expositis, necessarium est rationes commonstrare, quibus mensura commutari debuerit. Linea *h*, *g*, *a*, *e*, *f* immutata servanda est, quod marginem denotat, sutura protinus comprehendendum, in quo aberrationes a praescripta figura ideo non admittendae sunt, quod cruda lobi facies crudae curti nasi faciei quam exactissime et respondeat et accommodetur necesse est, ne partium consolidatio in irritum cadat. Contra ceterae et inferiores quidem mensurae partes non solum commutari possunt, quod, quum prima lobi in translatione sutura expertes maneant, vix necessarium est, ut lobi figura ad curtum nasum omnibus numeris respondeat, — verum etiam commutari debent, quod cutis nondum sutura comprehensa haud mediocriter in brevius contrahitur, et facile fieri potest, ut nimis deminuta efformandis nasi partibus haud sufficiat. Accedit etiam ad hoc, ut ex angustiori lobi radice commissa cutis non satis nutriri possit, si nares ita excidi volueris, quemadmodum lineae *h*, *i*, *q* et *f*, *k*, *r* luculenter commonstrant. Denique prolongatus cutis lobus et facilius a brachio reflecti et commodius in positura retineri potest, ad quam directus esse debet, quum sutura immittitur, ac si cutem observata ista immutata mensura excidere magis placuerit.

Delineata schedula mensoria (*a*, *h*, *n*, *o*, *f*) forfice excidenda et posterum ad usum servanda est

§. 119.

Excisa schedula mensoria protinus quidem in brachium transferenda est, sed antequam lobus delineatur, necessarium est, idoneum cutis locum exquirere. Quem ad finem aluta ad exemplum schedulae mensoriae et ita quidem exciditur, ut infra basin (Tab. IV.

Fig. 6. *l m*) spatium supersit, quo emplastri glutinantis taenia excipiatur transverse ad brachium applicanda. Igitur excisa aluta, emplastri taenia musculo brachii bicipiti ita agglutinatur, ut locus delineando lobo quam maxime idoneus experiendo facilius inveniri possit. Quo invento [1]) et aegrotante brachium porrigere iusso, agglutinata aluta complanatur, eiusque fines vernice colorata punctis in brachio denotantur. Tum detracta aluta, schedula mensoria in loco designato collocatur et linea subtili ita circumscribitur, ut brachium faciem *a*, *h*, *n*, *o*, *f* (Tab. IV. Fig. 6.) quam exactissime repraesentet. Quibus accurate peractis, basis *l*, *m*, quam in delineata schedula mensoria videre est, utrinque adeo producitur, ut eius extremitates in parte brachii posteriori sibi obviam veniant. Hanc lineam, quod non perinde ac ceterae primo quo inciditur die usum suum explet, sed usque adeo perspicua manere debet, donec lobus de brachio resecetur, paullo latiorem et multa vernice inscribere necessarium est.

Exposita lobum delineandi ratio ad Germanicam methodum pertinet, Italica aliquam eius commutationem exigit. In Germanica mensuram (Tab. IV. Fig. 6. *a*, *h*, *d*, *f*) quadrante longiorem esse debere, modo commemoravimus. Quod in Italica, qua lobus cicatrice inductus delineatur, ideo haud opus est, quod cutis per longius temporis spatium praeparata [2]) iam non in brevius contrahitur. Proinde linea baseos circumcurrens *l*, *m* per punctum *d*, vel si lobus amplior est, et summa accuratio adhibenda videtur, paullo infra punctum *d* ducenda est. Cetera delineandi ratio eadem in Italica methodo servatur, quam ad Germanicam respondere modo expositum est.

§. 120.

Lobo in brachio et excisuris in facie exacte delineatis, ad denotanda puncta transeundum est. Qua operationis in parte maximam accurationem adhibendam esse, nisi incuria et negligentia aegrotanti detrimentum [3]) afferri volueris, per se patet. — Puncta in curto naso quam in delineato cutis lobo, quod haec ad normam illorum dirigantur necesse est, prius denotanda sunt. Primum in curto naso suprema puncta supra baseos finem interiecta sesquilinea ad regionem *l* (Tab. V. Fig. 4.) ita designantur, ut in servato nasi dorso posita, spatio duarum vel trium linearum inter se distent. Deinde puncta ambo infima iuxta imas excisuras, ubi nasi alae desinunt, ita denotantur, ut perinde relicto a basi spatio sesquilineari, loca occupent, quae in figura asteriscis (*r*, *p*) designata videre est. Denique, quemadmodum in Indica methodo, sic et hic inter infimum utrumque et supremum punctum reliqua intermedia (aeque intercedente inter quodcunque et basin spatio sesquilineari) ita ponantur necesse est, ut singulae fibulae tres vel quatuor lineas inter se distent.

[1]) Cf. §. 86. 87. [2]) Cf. §. 85. 86. [3]) Cf. §. 86. 87.

Quodsi puncta denotandi rationem modo expositam cum Indica methodo comparaveris: quae puncta suprema in Germanica in nasi dorso supra baseos lineam non multum inter se distantia denotari praecepimus, ea in Indica, (Cf. Tab. V. Fig. 4.) qua puncta iuxta excisuras laterales incipiunt, omissa esse, facile intelliges. Cuius differentiae ratio ex eo clarissime elucet, quod in Germanica methodo excisus lobus protinus cum nasi dorso in unum adducendus est, contra in Indica nasi dorsum sutura serius comprehendi debet, nisi liberum inter assutam cutem et frontem commercium magnopere impediri volueris. Simili ratione quae Indica in methodo, qua septum factis incisionibus protinus committitur, necessaria videbatur punctorum iuxta transversam excisuram et ipso in septo denotatio, ea in Germanica prorsus supervacanea est, quippe quae istarum partium suturam, ut liberum inter assutum lobum et brachium commercium intercedat, multo serius immitti exigit.

Punctis igitur circum baseos lineam quam exactissime denotatis, schedulae mensoriae puncta, quae in lobum translata in curto naso istis ex adverso posita respondeant necesse est, aeque designantur, ut in Indica methodo praeceptis traditum est [1]). Quae punctorum schedulae mensoriae in exemplo extrema hac sectione pluribus illustrando positura fuerit, ex asteriscis videre est, in delineata schedula positis. (Cf. Tab. IV. Fig. 6.)

Denique denotati in schedula asterisci acu crassiori transfiguntur, ipsaque schedula in brachio ita collocatur, ut spatium linea circumscriptum quam exactissime occupet. Qua firmiter retenta, vernix colorata e penicillo in foramina demittitur. Sic enim brachii cutis translata puncta quam exactissime repraesentat.

Actus tertius.

Curti nasi vulneratio et fibularum immissio.

§. 121.

Quae ad nasi vulnerationem leges ac regulae pertinent, eae in Indicae methodi expositione iam satis illustratae, omnes ad Germanicam referendae sunt. Singula igitur praecepta quibus vel prominentes partes amovendae, vel sulci excidendi, vel margines resecandi sint, vel partium vulnerandarum irritatio deminui debeat, vix necessarium est, reditu ad propositum [2]) et molesta iteratione commonstrare.

Vulneris inferendi figuram ideoque methodorum inter se differentiam et e tradita delineandi ratione, et excisurae lateralis alterius in alteram in nasi dorso transitu, et transversae procrastinatione clarissime intelligere est. Ipsa delineata cutis ita exciditur, ut immisso in internam dextri lateris lineam apice, scalpellum acie sursum conversa trans nasi dorsum, et tra-

[1]) Cf. §. 36. [2]) Cf. §. 57.

mite nusquam derelicto, usque ad punctum *r* (Tab. V. Fig. 4.) sinistra nasi in ala positum uno tenore ducatur. Ita fit, ut incisura omni in parte laevis evadat, ideoque partium quae maxime in oculos cadunt cicatrices aptius omnino confirmari possint. Incisa interna sinistri lateris et nasi dorsi linea, scalpellum acie deorsum conversa in extremam incisurae partem, qua initium factum est, demissum, usque ad punctum *p* infima dextra in ala positum producitur. Sic incisa tota interna linea, externa prorsus eodem modo inciditur, et incisurae imis alarum nasi in partibus transversis ductibus inter se uniuntur. Circumcisa cutis forcipe comprehensa exciditur. Quibus accurate peractis, curtus nasus cruentum sulcum exhibet inde ab infima dextra nasi ala usque ad infimam sinistram trans nasi dorsum continenter circumflexam, eamque excipiendis lobi marginibus maxime idoneam. Ceterum quale scalpellum in incidendis lineis maximam securitatem polliceatur, quantam manus vim adhibere debeat, et quomodo circumcisa cutis eximenda sit, iam ita expositum est, ut lectorem ad Indicam methodum [1]) amandasse sufficiat.

Excisa cutis taeniola, fila protinus immittenda sunt, quod facillime peragi potest, siquidem denotati asterisci [2]) quae acu transfigenda sint puncta exactissime repraesentant. Quae ceterum ad ipsam filorum immissionem ordinemque pertinent, quo excepta a ministris retineri debeant, ea suo loco luculenter exposita sunt. (Cf. §. 59) Id solum commemorandum videtur, quod fila multo longiora quam prius praeceptum est, immittenda sunt, quandoquidem partes postea et facilius et commodius inter se committuntur si ipsorum alteris extremitatibus in curto naso, alteris in lobo positis, brachium a facie remotum retineri potest, et contra breviora fila, et quod brachium faciei propius retinendum est, et lobus difficilius acubus transfigitur, molestissimum incommodum afferunt.

Actus quartus.

Lobi e brachio exemtio.

§. 122.

Delineata cutis scalpello acie convexa [3]) (Tab. V. Fig. 16.) e brachio exciditur, quod capulo sursum converso in imam internae lateralis lineae partem, igitur in punctum *n* (Tab. IV. Fig. 6.) si sinistro in brachio lobus delineatus est, infigitur, infixumque in subiacentem telam cellulosam haud trepidanter demittitur. Qua incisa, scalpellum lineam nusquam derelinquens et aequa semper vi trans puncta *h*, *a*, *f* usque ad imam externam lateralem lineam (*o*) uno tenore et ita quidem circumducitur, ut tela cellulosa omnibus inscriptae lineae in partibus aequaliter disiuncta, recedentibus vulneris oris et corio, ubi transcissum est, protinus se reflectente in conspectum veniat, adipisque particulas repraesentet. Cavendum vero est, ne scalpellum fortius impactum altius penetret. Licet enim

[1]) Cf. §. 120. [2]) Cf. l. m. l. [3]) Cf. §. 40.

necessarium sit, incisuram, ne angulosa evadat, et aegrotanti supervacui dolores excitentur, simplici ductu perficere, musculorum tamen ceterarumque partium subiacentium laesiones maximum detrimentum afferunt. Ceterum scalpellum sub recto angulo immittendum, et cutem, dum inciditur aequaliter utrinque adducendam esse, per se patet, nec amplius quid de incisione commemorandum videtur, quam quod scalpellum, licet omnino in linea producatur necesse sit, extrorsum tamen quam introrsum melius deflectitur, ne lobus, qui postquam circumcisus est aliqua ex parte contrahitur, vel minor fiat, vel ad curtum nasum minus respondeat. Incisa linea, lobi angulus vel *f* vel *h* comprehensus quantum fieri potest adducitur, et tela cellulosa vel scalpelli manubrio, vel digitis, vel specillo crassiori, cultellum, ubi arctius cohaeret in auxilium vocando usque ad basin *n*, *o* a musculis separatur. Cuius negotii cardo praecipue in eo vertitur, quod quamplurima tela cellulosa in inferiori cutis circumcisae facie, et nulla fere in brachio servanda est. Quantacunque enim substratae telae cellulosae iactura cutis non solum nutritioni maximo impedimento est, sed efficit etiam, ut nasus non satis solidus conformetur.

Si Italicam methodum in usum vocare placuit, lobus translationis tempore tribus marginibus a brachio separatus, et ubique fere [1]) epidermide inductus deprehenditur. Unde, brachii cutem multo facilius vulnerari, clare intelligi potest. Nam praeparatus lobus in tabella lignea vel cornea positus, margine tantum superiori transverso (*h*, *g*, *a*, *e*, *f*) circumciditur, protinus cum curto naso in unum adducendo, ac margines laterales vulnerare, qui serius sutura comprehenduntur, et supervacuum est, et cutis irritationem immodice auget.

Sanguinis e brachii eque faciei vulneribus profluvium ut in Italica methodo, sic in Germanica rationibus suo loco allatis [2]) omnino cohibendum est, priusquam operatio ad finem perducitur. — Quod modo frigida, modo vasorum ligatura, modo fili circumductione, modo agarico fieri posse, in exposita Indica methodo [3]) luculenter commonstravimus.

Actus quintus.

Sutura.

§. 123.

Priusquam cutis sutura comprehenditur, cruor, sicut alias [4]) praeceptum est, de utraque cruda facie detergetur, et cucullus [5]) ita ad caput applicatur, ut eius taeniae mentales in supremo collo contracto nodo inter se coniungantur. Quo facto, minister, qui brachium usque retinet [6]) id ipsum adeo flectere iubetur, ut cutis lobus ad curtum nasum sine ulla tensione et ita quidem accommodari possit, ut facies epidermide inducta ex-

[1]) Cf. §. 85. 86. [2]) Cf. §. 40. [3]) Cf. §. 42. [4]) Cf. §. 43. [5]) Cf. §. 112, 113. [6]) Cf. §. 115.

terna et superior, cellulosa, interna et inferior maneat, omnis itaque quam in Indica methodo fieri traditum est [1]) lobi contorsio supervacua videatur. Sic enim, commodissime experiri licet, utrum altera cruda facies ad alteram omnibus numeris respondeat, an aliqua etiam correctione emendationeque indigeat. — Nostris in exemplis, quod obiter commemorasse sufficiat, quum partes exactissime demensae summa accuratione delineatae essent, omnis marginum emendatio supervacua fuit. — Partibus igitur inter se congruere visis, brachium ita figurari iubetur, ut a facie spatio palmari distet, et directum ad posituram commodissimam, nusquam impediat, quo minus singula fila ex ordine immittantur.

Ut in Indica methodo plurimum eo redit, quod, quum summus lobus fronti adhaereat, infimus quam exactissime sutura comprehendendus est, sic in Germanica, qua infimus lobus cum brachio cohaeret, summum lobum et curtum nasum accuratius in unum adduci, valdopere interest. Cuius differentiae ratione habita, tam in Indica methodo ad ima [2]), quam in Germanica et Italica ad summa, quibus cutis cum nasi dorso committatur fila attendendum esse, clarissime elucescit. Proinde minister qui ad aegrotantis sinistram constitit [3]), fili per nasi dorsum sinistra transmissi [4]) inferiorem extremitatem de qua acus nondum detracta est, porrigere iubetur. Qua accepta, acum chirurgus cellulosae faciei sub recto angulo [5]) impositam ita per cutem transmittit, ut asteriscus puncto *a* (Tab. IV. Fig. 6.) sinistra proximus, qui asterisco nasi dorsi sinistro [6]) respondet, exactissime perforetur. Tum transfixa acus detrahitur, et ambae immissi fili extremitates ministro ad aegrotantis sinistram posito ad retinendum traduntur. Licet enim cutis excisa aliquot pollices a facie remota serius cum curto naso committatur, necessarium tamen est, ut transmissa fila servato ordine retineantur, ne, quando sutura contrahitur, confusa difficultatem exhibeant. Deinde filum nasi dorso dextra immissum prorsus eodem modo per asteriscum iuxta punctum *a* dextro in latere positum transfigitur, transfixumque cum superiori extremitate ministro ad aegrotantis dextram collocato traditur. Denique immisso supremo utroque filo, lateralia á superioribus ad inferiora descendendo, perinde per cutis lobum transfiguntur. Quorum sinistram seriem quam dextram prius transmittere melius est, siquidem brachium sinistro latere faciei propius, hic maiorem certe difficultatem exhibet. Quibus propositis, vix necessarium videtur differentiam, cuius ratio haberi debeat, si lobum dextro e brachio exciderc placuerit, luculentius commonstrare. Totam enim expositionem nostram ad sinistrum brachium pertinere, facile intelligi potest. Ergo, si dextro brachio in usum vocato, quum fila transmittuntur, dextrum faciei latus magis quam sinistrum occupatum tenetur, dextro etiam in latere sutura prius perficiatur necesse est, quam in sinistro, siquidem fila, quo in latere lobus excisus est, in eo difficilius transmittuntur.

1) Cf. §. 43. 2) Cf. §. 44. 3) Cf. §. 114. 4) Cf. §. 121. 5) Cf. §. 44. 6) Cf. §. 120.

Ceterum sinistri lateris fila ministro ad idem latus posito tradenda esse, et contra, septique suturam, quae in Indica methodo necessaria visa est, in Germanica rationibus alias expositis [1]) fieri non posse, per se clarum est, neque luculentius admonendum videtur.

Priusquam sutura contrahitur, brachii vulnus obligandum est. Quodsi prius obligare volueris, sanguis e suturae foraminibus profusus linteola facile inquinabit, contra, serius, brachio faciem occupatam tenente et chirurgi manus impediente, linteolum difficilius ad crudas partes applicabitur. Convenientissima deligandi ratio haec est: Linteolum molle et tenue, sex digitos transversos in quadratum habens et unguento rosato utrinque illitum in vulnere ponitur, positumque brachio ita accommodatur, ut plicaturis nusquam molestiam afferat. Complanatum accommodatumque superiori margine, ubi vulnus desinit, et inferiori, ubi lobus brachio adhaeret emplastri taeniis exceptum comprehenditur, quarum extremitates posteriori brachii in parte in transversum positae agglutinentur necesse est. — Utramque linteoli faciem unguento induci ideo praeceptum est, quod sero pureque tinctum et facile arescit, et brachio perinde ac malae, quam durante curatione aliqua ex parte tangit, molestissime agglutinatur. Quodsi factum est utralibet, linteolum non solum difficillime vehementissimisque cum doloribus commutari potest, sed iteratis etiam partium adductionibus fit, ut commissi vulneris orae filis incisae offendantur et facies crudescat.

Adaptato linteolo, fila contrahenda sunt. Quam operationis partem, et modum praecipue, quo singulae filorum extremitates comprehensae adstringantur, ad prosperum successum plurimum facere, vix commemoratu dignum videtur. Iam quae in latere vulnerato brachio opposito summam difficultatem exhibet simplicium nodorum contractio, ea in latere cuius e brachio lobus excisus est, fieri omnino non potest. Brachium enim, quum sutura contrahitur, adeo flectendum est, ut suam nasi partem fere tangat et occupatam teneat, quo digitos impediri quin commode admoti nodos exactius [2]) contrahant, fere supervacaneum est pluribus exponere. Quod solum inevitabile suturae impedimentum ad bacillorum ligatoriorum usum provocare videtur, si minus etiam insignis quam pollicentur securitatis [3]) rationem habere volueris, neque singula fila sicut res exigit, modo adstringi posse, modo remitti, magni feceris. Posthabita itaque simplicium nodorum contractione, mirum quantum inventis istis bacillis ad Rhinoplasticen allatum esse [4]), haud difficile est intellectu.

Igitur si bacillis ligatoriis uti dubitandum non est, vulneratum brachium a ministro qui hanc provinciam in se suscepit, ita figurari iubetur, ut cubito, quantum satis est, flexum, et capiti super cucullum [5]) impositum, antibrachio frontem et metacarpo verticem occupans, digito medio ad angulum lambdoideum usque pertineat. Quibus sicut prae-

[1]) Cf. §. 111. 120. [2]) Cf. §. 87. [3]) Cf. §. 44. [4]) Cf. l. m. l. [5]) Cf. §. 123.

ceptum est, et Tab. VI. Fig. 1. 3. repraesentat, exactissime peractis, ministro brachium usque retinente, lobus ad curtum nasum curate applicandus est. Partibus inter se congruere visis, singulaebinae ad unamquamque fibulam pertinentes filorum extremitates in foramina nodulorum coniectae perinde adstringuntur, atque alias [1]) haud perfunctorie traditum est. Deinde utriusque lateris bacilla convenienter distributa partim faciei, partim brachio emplastri taeniis [2]) ita agglutinantur, ut neque pondere suo vulnus distendere possint, neque pressione a superimpositis ligamentis coorta partibus molestiam afferant. Quibus distributis agglutinatisque, oculi exacte circumferendi sunt, utrum singulae fibulae commutata ipsarum positura convenientes effectus exserant, an aliquam etiam vel adstrictionem vel remissionem exposcant. — Quod ad ipsam adductionis vehementiam exactius diiudicandam et corpusculorum usum pertinet, quae singulis fibulis subiiciantur necesse est, si vulneris ora altera alteram excesserit: lectorem ad §. 44. et 45. amandasse sufficiat, ubi singula quibus in committendis marginibus obsequendum est praecepta luculenter exposita sunt.

Actus sextus.

Deligatio post suturam.

§. 124.

Partibus sutura in unum adductis, nasi cavum apte implendum, translata cutis a frigore omnibusque aëris circumfusi iniuriis defendenda, et brachium ligamentis exceptum ita retinendum est, ut comissae vulneris orae neque distendantur et quam commodissime solidescant.

Quomodo et quousque novus nasus ne collabatur implendus sit, quibusque convenientissimis hac operationis in parte adminiculis utendum videatur, ex Indicae methodi [3]) expositione tam clare intelligi potest, ut proposita iterare supervacaneum videri debeat. — Naso igitur apte impleto, penicillum super quod unguentum rosatum expansum sit, ad cellulosam commissae cutis faciem, quae ab aëris iniuria defendatur necesse est, transverse applicatur, applicatumque exceptum emplastri glutinantis taenia retinetur. Deinde alterum penicillum angustius idque in balsamo Commendatoris tinctum sinistro commissurae lateri et tertium eodem medicamento madens, dextrro superimponitur. Nam vulneris oras actuositatis gradum consequi debere, quo perfecte solidescant, vix dignum est, quod commemoretur. Reliquum est, ut translatae cutis facies contecta penicillis siccis iisque tenuioribus bombyce aromatico [4]) emplastri glutinantis taeniis retinendo, excipiatur. Sic enim integumentum sat calidum formare licet, quo operta cutis et foveatur usque

[1]) Cf. §. 44. [2]) Cf. §. 46. [3]) Cf. §. 47. [4]) Cf. §. 27.

usque et vita magis magisque augescat. Quibus rite peractis, brachium fascia [1]) excipiatur, qua comprehensum apte ad caput retineri queat [2]). Ipse fasciam accommodandi modus quem sectio sexta [3]) exhibebit, hic facilius omitti potest.

Tandem aegrotus lecto traditur, in quo supinus cubare iubendus est, capite pectoreque ita suffultis, ut sedentis potius quam cubantis speciem referat. Necessarium quoque est lectum ita collocare, ut parietem non tangat, sed aditum facilem praebeat, quo commodius aegrotanti si res exigit, undique auxilium ferri possit

Actus septimus.

Aegrotantis ad lobi resectionem usque curatio.

§. 125.

Curationem secundariam ad aegrotantis naturam dirigendam plurimum ad prosperum successum conferre, ideoque incuriam et negligentiam in observando, medicaminumque usum inconsideratum facere posse, ut operatio, etsi accuratissime peracta, prorsus tamen in irritum cadat, facile intelligi potest. — Convenientissime curatio secundaria, in partem medicam, chirurgicam, diaeteticam distincta, praeceptis et animadversionibus ex ordine dispositis illustrabitur.

§. 126.

a) Curationis secundariae pars medica.

Ad curationem medicam praecipue vis vitalis ad normam directio pertinet, quatenus de vario organismi habitu et conditionibus pendet.

Partium consolidationem sola inflammatione mediocriter synochica [4]) fieri posse, alias expositum est. Quam inflammationis indolem certo expectare licet, si aegrotus prospera ceterum valetudine utitur, neque ullam corporis debilitatem persentiscit, pulsus ordinatus, moderatus nec adeo frequens est, corporis temperatura et faciei rubor non nimis augescunt, omnes partes facile, nec ullo impedimento gravatae ipsarum muneribus funguntur, revelatum vulnus oras repraesentat non multum tumentes, rubescentes flavidaque materie fibrosa inductas, aegrotus modicam commissi vulneris tensionem conqueritur, et digitorum tactus leves dolores [5]) excitat. Qui exoptabilis organismi status solam methodum expectativam exigit, totiusque curationis cardo in eo vertitur, quod cavendum est, ne singulae partium functiones praescriptos fines excedant. Necessarium quoque est, alvum quotidie solvere, ne caput sanguinis congestionibus gravatum laboret. Quem effectum sorbitiones refrigerantes exserunt, vicissitudine ex alia in aliam propinandae, ut

[1]) Cf. §. 115. [2]) Cf. §. 125. [3]) Cf. §. 162. [4]) Cf. §. 10.

[5]) Cf. C. F. Graefe, Normen für die Ablösung gröfserer Gliedmaafsen. §. 50.

aqua citrata, vel ex aceto Rubi Idaei mixta, vel tartari cremor cum saccharo in frigida solutus, vel cerasorum acidorum decoctum rel. Rarius medicamentis purgantibus opus est.

Inflammatione ad superiores gradus provecta et synochica facta, quae pulsu pleno et duro, facie rubicunda, calore corporis adaucto, urina flammea, siti, dolore vulneris pungente urenteque cum rubore, tensione, tumescentia totum lobum brachium et curtum nasum ad radicem usque occupante cognoscitur, atque suppressis commissurae secretionibus; ad methodum antiphlogisticam protinus confugiendum videtur. Igitur vena iterum atque iterum si res exigit secanda, et nitrum cum tamarindis ceterisque salibus mediis potionibusque modo laudatis in usum vocandum est. Cavendum quoque est, ne cubiculum ultra duodecim scalae Reaumurianae gradus incalescat. Simul ab omnibus commissae cutis irritamentis prorsus abstineatur, et bombyx aromaticus durante inflammationis acme penicillis siccis vel zinci unguento obductis commutetur necesse est. Nam partium nimia actuositas omnimodo cohiberi debet, nisi exhausta vi vitali gangraenam cooriri, vel suppurationem certe omnem consolidationis spem praecidere volueris.

Aliam curationem exigit, quae nimiae irritationis [1]) (erethismi) indolem prae se fert inflammatio, cuius adaucta nervorum actuositas princeps symptoma est. Aegrotus enim vel statim post operationem, vel serius etiam vehementiores faciei brachiique dolores conqueritur tensivos pungentesque. Simul perpetua corporis iactatione caloris profundioris sensu vix tolerabili, vigiliis et inquietudine vexatur. Pulsus celer atque contractus est et summa aegrotantis anxietas ex oculis ipsius cognoscitur. Levissimus vulneris tactus et contrectatio vagitum excitant. Commissae partes minime quidem rubent, vehementer tamen incalescunt, nec ideo tensionem persentiscunt, ut in inflammatione synochica, quamvis aliquantisper intumescant. Quae quum ita se habeant, facile gangraena cooritur, et consolidatio prorsus in irritum cadit, nisi medicamentis praecautum est nimiam nervorum compagis actuositatem cohibentibus sedantibusque. Saluberrimos opium effectus exserit cum nitro mixtum neque minus hyoscyami extractum et aqua laurocerasi cum emulsione amygdalarum. Quibus medicamentis haud raro venae sectione via aperiatur necesse est, si doloribus vix tolerabilibus, pulsus aliquam etiam duritiem retinet, ideoque synochicam indolem cum erethica conspirare coniicere fas est. Localia vulneris irritamenta sub istis rerum conditionibus detrimentum afferunt, ergo bombyx aromaticus reiiciendus, et penicilli in balsamo Commendatoris tincti penicillis cerussae vel zinci unguento inductis commutandi sunt. Plurimum quoque auxilii, si partes nimis incaluerint superimpositis linteolis aqua saturnina frigida humentibus inest, iisque saepius commutandis. Altior enim frigoris gradus licet post ceteras operationes aegrotanti semper fere suppetias ferat [2]), minus tamen ad nostrum

[1]) Cf. l. m. l. p. 54.

[2]) Cf. Praefatio nostra ad opus cui titulus est: C. Bell's Chirurgie, übers. von Kosmely. p. IV, V. — Normen für die Ablösung größerer Gliedmaaßen. p. 79.

propositum conferre visus est, siquidem translata cutis uno tantum margine cum brachio cohaerens vix ullam securitatem pollicebatur, et valdopere extimescendum erat, ne vi vitali nimis deminuta penitus absumeretur. Ceteris quoque remediis plane sufficientibus, ad vehementiora confugere supervacaneum videri debuit.

Contrariam medelam status torpidus [1]) exposcit, quo dolores modici percipiuntur et fere nulli nec ipsi a rudiori vulneris tractatione excitari possunt, calor mediocris est, vulneris orae pallidae marcescunt, neque ad consolidationem pronae videntur, commissura multo sero vel dilutiori materie fibrosa inducta humescit, secretio auctior, facies pallida est, oculi languescunt, pulsus parvus facillime comprimi potest, et aegrotus animo despondet. Res certe desperationem habet siquidem vulnus vis vitalis defectu, nisi prudenter adhibito methodo excitante, neutiquam solidescere potest. Praesentissimum auxilium cortex Peruvianus fert, neque minus radix serpentariae, flores Arnicae, camphora, olea et spiritus aetherei, atque varia medicaminum genera, quibus Ammonium admixtum sit. Simul victus liberalis [2]) et vinum bonum exhibendum est, quo corpus excitetur.

Praeterea penicilli balsamo Commendatoris imbuti non solum commissurae, sed toti etiam externae lobi faciei superimpositi saluberrimos effectus exserunt. Hoc enim medicamentum, licet a recentioribus plerisque proscriptum et inter obsoleta relatum sit, efficacissimis tamen adnumerandum videtur. Necessarium quoque est, linamentum, quo nasi cavum impletur [3]), in medicamento quolibet aromatico vinoso [4]) vel corticis Peruviani decocto tingere, cui tincturae myrrhae nonnihil admixtum sit, vel, si partes magis etiam obtorpuerint, spiritu camphorato vel terebinthinae oleo conspergere, et vulneris oras eodem medicamine illinere. Bombyx aromaticus liquore Ammonii inspergendus est. Quodsi torpore sensim et pedetentim deminuto vulneris orae calescunt, intumescunt, imo amissam sensilitatem recuperant, et consolidantur, medicamentis irritantibus abstinendum et pristinam ad curationem redeundum videtur.

Quae varia aegrotantis curatio usque adeo servari debet, donec partibus penitus inter se unitis lobus de brachio resecari possit [5]).

§. 127.

b) Curationis secundariae pars chirurgica.

Quo tutius caveatur, ne motibus quibuscunque aegrotus sibi detrimentum afferat, opus est, ut ministri exercitatiores ad eius custodiam usque advigilent, quorum muneris

1) Cf. l. m. l. p. 55.
2) Cf. l. m. l. pag. 86, 82.
3) Cf. §. 47.
4) Cf. C. F. Graefe, Normen für die Ablösung gröfserer Gliedmaafsen. p. 81.
5) Cf. §. 129.

est, ligamenta subinde inspicere, utrum arcte sedeant, an relaxentur, nec minus bacilla ligatoria perlustrare, ne solutis emplastri taeniolis vacillent vel delabantur, aegrotanti, ne ipse molestius moveatur et medicamina et alimenta quam commodissime suppeditare, atque vitium qualecunque protinus emendare, ne maius quoddam oriatur, quod omnem prosperi successus spem praecidere valeat.

Eadem accuratione abstrusiores quae ad consolidationem faciunt ligamentorum partes inspiciantur necesse est. Quotidie igitur vulnus et commissura revelanda et oculi an sutura convenienter sedeat, curatissime circumferendi sunt. — Si Germanica vel Italica nasum restituendi methodus in usum vocata est, quibus brachium capiti alligatum retinetur, necessarium est, ut minister cubitum comprehensum manibus usque retineat, priusquam ligamenta brachialia detrahantur. Quibus detractis, assuta cutis detegatur ac reveletur necesse est, quo commodius observari possit, quam fibulae posituram usque retineant, et quomodo vulneris orae se habeant. Omnibus inter se congruere visis, penicilli et linteola commutantur [1]) ac ligamenta brachialia denuo ad aegrotantem applicantur. Qua curationis in parte sollicite cavendum esse, ne tensione et rudiori partium tractatione supervacui aegroto dolores excitentur, vix dignum est, quod commemoretur.

Abstrusiora linteola et linamenta, quibus et nasi cavum impletum et cellulosa lobi cutanei facies operta est [2]), usque intacta relinquuntur, donec tertio vel quarto die coorta suppuratione facile et absque ullo dolore eximi possint, nisi vis vegetativae aberrationes peculiarem [3]) medelam exigunt. Exemto linamento, suppurantes facies iniecta tepida abluantur et sicco linamento detergeantur, deinde novae turundae et penicilli immittantur, super quos vel unguentum rosatum, vel balsamum Arcaei expansum sit, prout varia inflammationis indoles hoc vel illud remedium exposcere videtur. Ceterum immissas turundas et penicillos quotidie novis commutandos esse, per se patet.

Linteolum brachio impositum, si vulnus bene se habet, usque ad lobi resectionem intactum servari debet, quum brachii faciem fere tangentis positura summam difficultatem exhibeat. Sin autem pus in cruda brachii facie secretum abundat, et mala usque humectata summo aegrotantis fastidio crudescit, necessarium est, linteolum statim renovare. Quem ad finem remissis primum brachialibus ligamentis, rescissae quae linteolum retinent [4]) circumcurrentes emplastri glutinantis taeniae placide leniterque detrahuntur, brachii vulnus, linamento quantum fieri potest detergetur, mala crudescens aqua saturnina abluitur, et novum linteolum, zinci unguento utrinque [5]) inductum perinde ad brachium applicatur, atque primo die fieri debere suo loco commonstravimus. Renovatum, non quotidie ut turundae et penicilli, sed toties commutandum est, quoties pus abundantius profusum ad obligandum provocat.

[1]) Cf. §. 124. [2]) Cf. l. m. l. [3]) Cf. §. 126. [4]) Cf. §. 123. [5]) Cf. l. m. l.

Fibulae sicut res exigit, modo remittendae sunt, modo adstringendae [1]. Tutissime eximuntur [2]), si penitioris consolidationis signa [3]) ad tertium fere diem in occlos cadunt. Minime suadendum videtur, omnes simul eximere, nisi prosperrimo successu omnes commissurae partes coierunt; fieri enim potest, ut orae maxima quidem ex parte consolidatae, hic illic tamen remissius inter se unitae aliquem ne recrudescant timorem iniiciant, unde nonnullas fibulas haud raro ad quintum vel sextum diem usque intactas relinquendas esse, luce clarius emicat. Exemtis fibulis, balsamum Commendatoris e penicillo in foramina demittendum est, quo facilius suppuratio cohiberi possit, neque confirmata cicatrix emolliatur. Quae chirurgica curatio usque adeo continuari debet, donec novissimum filum exemtum sit, et signa animadvertantur [4]) quae ad lobi resectionem provocent.

§. 128.

c) Curationis secundariae pars diaetetica.

Victus ratio curationi tam medicae, quam chirurgicae, cuius propositum translatae cutis consolidatio est, curatissime accommodari debet.

Praeprimis aegrotanti quiescendum eademque in positura perseverandum est, quam paullo ante descripsimus. Capitis itaque et faciei motibus, v. c. manducatione, tussi, loquela rel. pariter atque brachii ad caput devincti distorsionibus, quibus et ligamenta dimoventur, et commissae vulneris orae molestissime distenduntur, prorsus abstineat necesse est.

Cibi sint succulenti et facile concoctiles, ut alicae avenaceae iuscula, vel crimni, hordei decorticati minutioris, medullae panis albi pulticulae, vel pruna ceterique fructus passi aqua decocti. — Carnibus initio plane interdicendum est, quippe quae totius corporis secretiones nimis augent, ideoque vulnus impediunt quin citius [5]) solidescat. — Excalfacientia, quae corpus vulneribus vexatum magis etiam irritant, detrimentum afferunt, nec ulli aegritudinis generi quam torpori conveniunt. Simili ratione cibus vix digestibilis nocet. Aegrotanti enim omni quo ciborum concoctio adiuvetur motu plane carenti, sanguinem ad caput congerit, variosque gastricos affectus excitat, haud dubie efficacissimas inflammationis faciei erysipelaceae causas. Ceterum omnes cibos ipsosque facillime concoctiles sorbiles exhibendos esse, ne manducatione opus sit, per se patet.

Interdicendum est, quod e generali expositione [6]) clarissime elucet, cerevisia, vino, spirituosis, quae pariter atque cetera excalfacientia tantummodo obtinente statu corporis torporoso [7]) aegrotanti suppetias ferunt, contra rem in deterius vertunt.

Cubiculum sit dies noctesque tepidum, ne vulneris inflammatio una cum adaucta aegrotantis sensilitate incrementum capiat, nec ideo translatus lobus frigore tactus facilius absumatur.

[1]) Cf. §. 49. [2]) Cf. l. m. l. [3]) Cf. l. m. l. [4]) Cf. §. 88. [5]) Cf. §. 7. [6]) Cf. §. 126. [7]) Cf. l. m. l.

Quam victus rationem usque adeo servare fas est, donec lobus de brachio resecari possit [1].

B. Germanicae methodi pars altera.

Lobi de brachio resectio.

§. 129.

Quae penitioris consolidationis signa vel tota in commissura, vel plurimis eius in partibus apparentia ad lobi de brachio resectionem provocarent, alias [2]) exacte commonstravimus. Ibidem de obsoleta Italica methodo, qua lobus decimo quarto demum vel vicesimo post immissam suturam die, resecari posset, de emendata, qua decimo, deque Germanica, qua vulneris orae sexto die solidescerent, mentionem iniecimus. — Quae ceterum ad lobi resectionem pertinent emendatae Italicae methodi praecepta, ea ad Germanicam tam plane respondent, ut fere supervacaneum videri debeat, et dissecandi [3]) et deligandi [4]) et vulnus curandi [5]) et crudescentes commissurae partes in unum adducendi modum fusius exponere. Item lobum ad conformandum septum apte figurandi ratio, quaeque ad eius excisionem provocarent signa, ea tam dilucide tradita sunt, ut lectorem ad proposita relegasse et tertiam [6]) Italicae methodi partem secundam Germanicae constituisse sufficiat.

Germanicae methodi pars tertia.

Septi narium conformatio.

§. 130.

Praeterlapsis post resectum lobum quatuordecim diebus, fieri solet, ut confirmatae cicatricis signa [7]) appareant. Quare nares excidendae et septum protinus sutura comprehendendum est. — Taliacotium penitiorem et narium et totius internae translatae cutis faciei consolidationem atque cicatricem expectavisse [8]) priusquam septum assuere ausus sit, antea commemoravimus. Igitur rationes afferre necessarium est, quibus adducti utramque illam operationis partem uno eodemque tempore perficere conati simus, ac veluti in unam contrahere.

Primum obsoleta ista septum cum labio superiori committendi methodo et nimia accuratione, tempus haud necessario et molestissime quidem teritur. Quum enim opus sit, duas integras hebdomadas [9]) inde a lobi resectione usque ad narium excisionem praeterlabi, et Taliacotius duos menses vel longius etiam tempus [10]) interponi praecipiat, quo

[1]) Cf. §. 88. [2]) Cf. l. m. l. [3]) Cf. §. 89. [4]) Cf. §. 90. [5]) Cf. §. 91. [6]) Cf. §. 88—91. [7]) Cf. §. 91. [8]) Cf. §. 72—73. [9]) Cf. §. 71. [10]) Cf. §. 72.

vulnerati margines cicatrice inducantur, longissimum decem hebdomadarum spatium inde a lobi resectione usque ad septi suturam excurrere, haud parvi pendendum est. — Contra Germanica methodus, operatione in brevius contracta, duas tantum quibus eandem metam attingat [1]) hebdomadas exigit.

Tum emendata nostra septum statim committendi methodus plurimum ad aptiorem nasi apicis figuram confert. Nam suppurantis internae septi faciei papillae papillis nasi apicis adhaerescunt, unde massam carneam crassiorem fieri, ideoque ipsum apicem et solidiorem et aptius arcuatum evadere, facile intelligi potest.

Deinde septum etiam aptiorem formam consequitur. Solidescentibus enim papillis tam altum in parietem attollitur, ut supra pontem cutaneum ab altero latere ad alterum vix perspicere liceat, quod in nasis fieri potest, quorum septum inducta cicatrice cum labio committere placuit.

Denique emendatam septum cum labio committendi methodum, nutritionis ratione habita, maximam securitatem polliceri in confesso est. Excisis enim naribus, neque septo sutura comprehenso, longa habena remanet, non nimia certe vitae actuositate praedita, quippe quae cum translata cute, scilicet per se tardius nutrita, exigua tantum parte cohaeret, ideoque magis omnino contrahitur, ac si emendatam nostram methodum in usum vocaveris, qua septum excisis naribus angustius quidem conformatur, statim tamen cum labio in unum adductum, vita haud mediocriter augescit, quinetiam multo minus contractum quum cicatrix intus confirmatur, vegetiorem etiam habitum in perpetuum retinet.

Igitur disiunctae operationis partes optimo iure et commodissime quidem inter se uniuntur, nec obstat quidquam quo minus ad ipsam emendatae nostrae methodi expositionem nos conferamus.

Actus primus.

Septi nariumque demensio et delineatio.

§. 131.

Septum exactissime ad nasi archetypum [2]) delineari oportet, quo ceterae etiam translatae cutis partes demensae sunt delineataeque [3]), nisi obsoletis istis erroribus [4]) haud spernendum aegrotanti detrimentum afferri volueris. Igitur Tab. IV. Fig. 4. 6. quamplurimam lucem super expositionem nostram expandat. Praeprimis in cicatrice, qua translata cutis cum curto naso committitur, scilicet lineae *h*, *g*, *a*, *c*, *f* (Fig. 6.) respondente, summum punctum *a* (Fig. 4.) in nasi dorso positum, et extremae utriusque nasi alae partes *f* et *h* denotentur necesse est, quarum alteram *h* in Fig. 4. unum tantum archetypi latus exhibente sub aspectum cadere non posse, vix commemoratu dignum videtur. Utrumque

[1]) Cf. §. 146—154. [2]) Cf. §. 31. 116. [3]) Cf. §. 34. [4]) Cf. §. 92.

punctum laterale recta linea in media adnata cute vernice producta, chartae segmentis perinde transfertur, atque alio loco commonstravimus, quo eorundem punctorum in schedulam mensoriam translatio exposita est [1]). Denotatis igitur punctis *a*, *h*, *f*, ad designandum punctum *c* (Fig. 6. 4.) quod summam nasi prominentiam indicat, transeundum est, nimirum chartae segmentis itidem transferendum. Quo exacte denotato, et recta ista linea, qua translata cutis in duas partes aequales dividitur, ad infimum usque lobum (Fig. 6. *p*) perducta, superest, ut septi longitudinem punctis *c* et *d* (Fig. 4. 6.) interpositam chartae segmento demetiamur, demensamque in lineam transferamus (*c*, *d* Fig. 4. 6.) duas aut tres (mensurae Parisiensis) lineas addendo, prout cutem vel tenuiorem vel crassiorem durante consolidatione magis minusve contrahi expectandum videri potest. Extremum punctum (*d*) linea transversa notatur, scilicet indicante, quae cutis pars postea dissecanda sit.

Inventa septi longitudine varia eius latitudo circino ex archetypo in cutem transfertur. Quam medio minimam esse, et utralibet non multum augescere quod e Fig. 6. ad puncta *i*, *q* et *k*, *r* videre est, obiter commemorasse sufficiat. Post exacte translatam septi latitudinem, necessarium est utrumque ad latus integram (mensurae Parisiensis) lineam, collapsus causa, quo excisis naribus septum in angustius contrahitur, adiicere et additum spatium linea fortiori circumscribere.

Nares exactissime hoc modo delineantur: Excisae ad archetypum binae schedulae quae ipsarum formas repraesentent, infra punctum *c* (Fig. 6. 4) ita collocantur, ut extremis partibus ad id ipsum (*c*) pertinentes, sinistra margine interno lineam *i*, *q* dextra eodem margine lineam *k*, *r* attingat. Iam totius fere negotii cardo in eo vertitur, quod narium anteriores extremitates, quarum iusta positura plurimum haud dubie ad aptiorem nasi figuram confert, quam curatissime et inveniendae sunt et delineandae. Igitur nasi in archetypo spatia puncto *c* et narium extremitatibus interposita, chartae segmento explorantur, atque in cutem transferuntur. Translata segmenta bina extrema puncta repraesentant, ad quae schedularum istarum apices nusquam derelictis lineis lateralibus dirigantur necesse est. Sic inventis extremis narium punctis, schedulae intra iustos ipsarum fines emplastri aliquot globulis agglutinatae circumscribuntur. Internos narium margines, *i*, *q* et *k*, *r* (Fig. 6.), quos laterales septi orae repraesentant, etsi deintegro non delineandos, corrigendos tamen et emendandos esse, qua necessarium videtur, per se patet. Quibus ad normam directis et exacte denotatis narium extremitatibus, externorum marginum quadrantes delineantur, et inscriptae lineae in punctis *f* et *h* ad cutis posituram accommodatae terminantur. Nam ulterius penicillum producere, supervacaneum videtur, neque omnino fieri potest, siquidem schedulae in translata cute positae, priusquam nares excisae

[1]) Cf. §. 34. 113.

excisae sunt, ad planum dirigi nequeunt. Igitur productis quousque modo praeceptum est lineis lateralibus, infimus lobus, quasi iustam septi posituram obtineat, experimenti causa ad planum dirigitur, quo facilius linearum nariumque longitudines et cum archetypo comparari et emendari possint, si qui commissi errores emendatione indigeant.

Quibus peractis, curti nasi pars denotatur, quacum commissum septum solidescat. Igitur necessarium est, extremas alarum nasi partes, *f* et *h* linea transversa [1]) subter lobum producenda coniungere, nimirum baseos lineam [2]) occupante, quod e Tab. V. Fig. 4 (*m*, *n*) videre est. Qua producta, superest, ut excisura transversa perinde delineetur, atque in Indica methodo [3]) demonstravimus, et figura modo citata ad partem *s* exactissime repraesentat.

Postremo puncta suturae foraminum indices et in curto naso et in translato lobo (Tab. V. Fig. 4. *s d*) praeceptis alias [4]) expositis denotantur.

Actus secundus.

Narium excisio et septi sutura.

§. 132.

Denotatis incisuris foraminibusque, infima dependentis lobi pars, dum minister qui post sellam constitit, aegrotantis caput retinet, sinistrae pollice et indice comprehensa placide leniterque adducitur, et scalpellum angustius quale in Tab. V. (Fig. 7.) delineari curavimus, in extrema angustiori delineatae sinistrae naris parte *k* (Tab. IV. Fig. 4. 6.) acie deorsum conversa per cutem transfigitur. Transfixum laminam vicissim promovendo et adducendo accuratissime observata linea, ad lineam transversam, et iterum in punctum *k* immissum acie extrorsum conversa ad extremam nasi alam *f* perinde observata linea producitur. Excisis sinistrae naris marginibus, dextra prorsus eodem modo exciditur, et supervacuae cutis partes *f*, *k*, *r* et *h*, *i*, *q*, quae quum solis marginibus *r*, *o* et *q*, *n* cum adnato lobo cohaereant, libere dependent, simplici per transversam lineam *q*, *r* ductu resecantur. Quo facto, septum undique circumcisum figuram exhibet, qualem e Tab. IV. Fig. 6. (*h*, *i*, *q*, *d*, *r*, *k*, *f*) videre est, nimirum ad nasi formam exactissime respondentem. Nares enim minus sub adspectum cadere, mirum videri non potest, quandoquidem dependens ipsarum septum nasi figuram nondum repraesentat, scilicet commode flexum et ad curtum nasum applicatum una cum marginibus *i*, *k* et *k*, *f* nares conformaturum. Quod e comparatione lineae (Tab. IV. Fig. 6.) *r*, *k*, *f* cum linea (Tab. IV. Fig. 4.) *d*, *k*, *f* quarum illa ad extensum, haec ad flexum septum pertinet, luce clarius emicat.

Excisis naribus, transversa in curto naso cutis particula (Tab. V. Fig. 4.) scalpello cuius acies non multum convexa sit (Tab. V. Fig. 16.) eodem modo eximitur, quem in

[1]) Cf. §. 33. [2]) Cf. §. 32. [3]) Cf. §. 55. [4]) Cf. §. 56.

Indica methodo dilucide demonstravimus [1]). Quodsi cutis lobus impedit, quo minus scalpellum commode adhibeatur, forfice Cowperiana, cuius facies admodum curvata sit, utendum est, apertis cruribus ad delineatam partem applicanda adeoque apprimenda, ut comprehensa cutis in collem assurgat, haud cunctanter excidendum, quo exciso illatum vulnusculum usque adeo corrigendum est et emendandum, donec ad delineatos lines exactissime respondeat.

Sanguinem e crudis partibus profluentem protinus cohibendum esse [2]) ne serius intra commissas oras effusus consolidationi impedimentum afferat, suo loco expositum est.

Stato igitur sanguinis profluvio, septum sutura comprehenditur. — Ad quam duobus tantum filis opus esse, utroque in acum curvam coniecto, antea commemoravimus [3]). Primum fila per excisuram transversam, deinde per narium septum transmittenda sunt, quod commodissime hoc modo perficitur: Alterius fili acus facie concava sursum conversa, alteri asterisco subter excisuram *s* (Tab. V. Fig. 4.) imposita, ad longitudinem integrae (mensurae Parisiensis) lineae infigitur, et subter vulneris fundum traducta trans superiorem excisurae oram emissa, caute extrahitur. Quo facto, immissum filum ministro ad retinendum traditur, et alterum prorsus eodem modo transmittitur. Iam septum sinistra comprehensum fili primum immissi acu (scilicet dextra manu retenta) in asterisco [4]) ad excisurae transversae asteriscum respondente ex averso transfigitur, nec statim ad curtum nasum applicatur, quo facilius alterum filum prorsus eodem modo implicari possit. Immisso igitur utroque filo, et acus detrahuntur, et recens sanguinis profluvium cohibetur [5]), et bacilla ligatoria [6]) cum corpusculis eburneis [7]) adaptantur, quemadmodum suo loco demonstratum est. Oris inter se congruere visis, bacilla ligatoria, ne vulnus offendatur, emplastri taeniolis [8]) agglutinata eadem in positura, quam Tab. V. Fig. 6. repraesentat retinentur. Ceterum opus esse, ut septum accuratius etiam quam ceterae partes sutura comprehendatur, facile ex eo intelligitur, quod crudas facies in loco. perpetuis fere pituitae profluviis exposito, ita inter se committi, ut sutura omnes istos liquores defendente, consolidatio prospere succedere possit, magnopere interest.

Assuto narium septo, sanguis de facie detergetur, et turunda tenuis balsamo Commendatoris imbuta transverse ad commissuram applicatur. Qua imposita, superest, ut turundis crassioribus aqua saturnina madentibus in nares immissis, quarum prominentes extremitates forfice ipso fere in naso resecentur necesse est, penicillum zinci unguento inductum superimponatur, emplastri taenia longiori retinendum, cuius media pars imo naso, extremitates fronti agglutinentur. Denique naso sicut prius praeceptum est [9]) linamento et bombyce aromatico, commode involuto, aegrotus lecto traditur, ut placide requiescat.

1) Cf. §. 38. 2) Cf. §. 42. 3) Cf. §. 26. 4) Cf. §. 131. 5) Cf. §. 42. 6) Cf. §. 44. 7) Cf. §. 45. 8) Cf. §. 46. 9) Cf. §. 124.

Actus tertius.

Curatio secundaria.

§. 133.

Quas curationis secundariae regulas ad perfectam cutis translatae conglutinationem pertinentes posuimus [1]), eaedem in septo obtinent, ad penitiorem consolidationem perducendo. Praeterea haec fere observanda sunt.

Aegrotus resupinus in lecto cubet, quo facilius pituita per choanas defluat. Respiratione per nares plane interdicendum est. Bombyx et penicilla quotidie demantur, ac sutura curatissime inspiciatur, utrum fila adducenda sint an remittenda [2]). Turundae vero usque adeo intactae serventur, donec pure et pituita madidae commodius e naribus extrahi possint. Deinceps quotidie novis commutentur, et naribus ex aqua Goulardi iniectis, nasus perinde obligetur, atque primo operationis die. Quae simplicissima curatio usque continuanda est, donec septum penitius solidatum sit, vel fila mordeant incidantque. Apparentibus igitur die tertio vel quinto signis quae ad filorum exemtionem provocant [3]) eximatur [4]) utrumque, vel ipsorum alterum, prout vulneris orae vel totae vel ex parte tantum consolidatae sunt, et reliqua deligandi ratio usque immutata servetur, donec cicatrix omnibus numeris absoluta sit. Quam vel sex vel octo diebus confirmari, nisi inopinata impedimenta accederent, alias expositum est.

Inducta quae translatae cutis consolidationi finem imponit cicatrice, crudae faciei secretiones remediis siccantibus iam non coërcendae, sed medicamentis pus moventibus, praesertim balsamo Arcaei turundis illito augendae sunt, quo et vegetior partium suppuratio oriatur, et nasi arcus solidior evadat. Praeterlapsa hebdomada, vel duabus etiam, quibus arcus satis omnino confirmari solet, unguenta pus moventia, ne nasi cavum luxuriante carne coarctetur, siccantibus, praecipue zinci unguento commutanda sunt. — Secunda demum vel tertia post septi suturam hebdomada, qua et suppuratio plerumque desinit, et cicatrix penitus confirmatur, et ipsa interna facies sanescit, ad progredientem nasi conformationem, ultimam scilicet totius operationis partem, affulgente prosperrimi successus spe, commodissime transire licet.

D. Germanicae methodi pars quarta.

Conformatio progrediens.

§. 134.

Cicatrice penitus confirmata, et cute maiorem texturae soliditatem consecuta, qua

1) Cf. §. 91. 2) Cf. §. 49. 3) Cf. l. m. l. 4) Cf. l. m. l.

vitae ipsius actuositatem magnopere auctam esse, extra omnem dubitationis aleam ponitur, nasi ad integrum restitutio felicissime quidem inchoata, neutiquam tamen ad finem perducta est, et magna etiam perfectionis pars medicorum [illegible] [illegible]. [illegible] igitur variam nasi figuram et servandi et meliorem faciendi rationem, in qua totius conformationis progredientis cardo vertitur, brevibus exponere liceat.

§. 135.

a) Conformationis progredientis tempus

Praeproperam quidem cutis modo consolidatae tractationem detrimentum afferre, progredientem itaque nasi conformationem tum demum locum habere posse, quum auctioris vitae actuositatis signa in oculos ceciderint [1]), procrastinationem tamen magis etiam nocere, clarissime elucescit. Nam cutis, perfecta intus cicatrice inducta, neque internam faciem immissis tubulis accommodare potest, neque externa ad varias ipsorum impressiones respondet, et variae illius, si quae opus sunt emendationes, absque vehementiori offensione et latioribus vulneribus fieri nequeunt. Ergo conformationem progredientem nec prius nec serius inchoandam esse, quam externae narium cicatrices penitus, et internae aliqua saltem ex parte confirmatae sunt, suis rationibus constat.

Ut conformationis progredientis initium, ita totius curationis secundariae finem certum quoddam et constitutum tempus servare oportet. Nam de singulis curationis secundariae veluti periodis hic sermonem non esse, quippe quae toties excurrunt, quoties aliquam conformationis partem ad finem perducere contigit, vix commemorandum videtur. — Igitur necessarium est, cuiuslibet convalescentis nasum commodis exceptum integumentis bombyce aromatico [2]) per proximam etiam hiemem usque curare. Translata enim cutis aëris iniurias adeo persentiscit, ut admisso leviori tantum frigore facillime non solum frigescat, et anserina fiat, sed continuo oppallescens ipsa etiam subsidat, molestissimumque dolorem percipiat. Qua de causa convalescenti prima hieme, dum frigus vehementius obtinet, progressu in publicum, etsi operto naso interdicendum esse, cumque frigido cubiculo neutiquam uti debere, per se patet. Peracta tandem hiematione, integumenta per sudum initio domi et rarius, deinde foris et frequentius deposita, tempestate denique calida reiiciuntur. Nam solis radii tantum ad nasi vigorem faciunt, ut translata cutis ineunte autumno una cum ceteris faciei partibus vel pallescat vel rubescat, et varias caloris vicissitudines subeat. Quae quum ita sint, nasum propriae vitae actuositate satis omnino instructum, penitiorem cum facie communionem iniisse iam non dubitandum videtur, omni itaque curationi, qua nasus ad exemplum naturae restitutus, nulla indiget, optimo iure supersedere licet. Insequente hieme integumenta quidem supervacua sunt, omne tamen vehementius frigus, quo et reliquae corporis extremae partes absumuntur,

[1]) Cf. §. 133. 134. [2]) Cf. §. 132. 133.

licet nonnunquam sustineri possit, quod aegrotantium nostrorum [illegible] dubitationem posuit [1]), sollicite tamen defendendum est.

§. 136.

b) Narium conformatio progrediens.

aa) De tubulorum usu in universum.

Ineunte progredientis conformationis tempore protinus ad aptiorem narium conformationem attendendum est. Fieri enim potest, ut, quum cicatrix intus confirmatur, amissa pristina forma coarctentur, et nasi apex molestissimo oris dehonestamento collabatur. Plurimum tubuli conici quos et delineari curavimus (Tab. V. Fig. 14.) et postea [2]) exactius describemus auxilium promittunt. Inferiores ipsorum partes ad nasi archetypum [3]), mediae et superiores ad variam narium tum capacitatem tum figuram respondeant necesse est. Convenientissima forma sunt, si sex ad novem (mensurae Parisiensis) lineas in nasi cavum pertinentes, et nares exactissime complent, et nasi arcum sustinent, nec ulla vel septi vel alarum nasi tensione pressioneve dolores excitant. Superior pars naso immittenda plumbea sit, quo facilius, prout res postulat, ita comprimatur, extendatur, flectatur, cultello emendetur. Quodsi durante curatione pressionem hic illic augeri volueris, commodissime laminis uti licebit, quarum Tab. V. Fig. 15. unam repraesentat, nimirum ita fabricatis [4]), ut embolis duobus in externa tubuli facie tuto retineantur. Binas laminas ad utrumque tubuli latus applicatas eius ambitum aequaliter augere, per se patet.

Priusquam tubuli immittuntur, renixus causa, quem nares exhibent, zinci unguento illinantur. Immissis lamina labialis ita accommodatur, ut eius annuli ligulas excipiant, quod e Tab. V. Fig. 14. videre est, deinde taeniae ad laminae extremitates assutae, capiti supra aures commode circumvolutae, in occipite in nodum contrahantur.

§. 137.

bb) De adductoris usu et narium per incisiones dilatatione.

Nasi apicem eo praesertim solidiorem evadere, quod suppurantes septi parietumque lateralium facies in unum adducerentur, prius commemoravimus. Quo convalescentiae tempore sollicite cavendum esse, ne papillis immodice luxuriantibus cum nasi cavum impleatur, tum nares anterius concretae coarctentur, et labii superioris cutis, appressis tubulis offensa crudescat, haud difficile est intellectu. Igitur auxilio vix ullam dilationem recipiente, protinus ad adductoris (Tab. VI. Fig. 9.) usum confugiendum est, cuius bicornis furcula in tubulorum foramina immissa, nasi apicem fortiter attrahat. Ita enim fit,

[1]) Cf. §. 108. [2]) Cf. §. 163. 164. [3]) Cf. §. 31. [4]) Cf. §. 163.

ut anterioribus narium oris fortius compressis, posterioribusque ab omni pressione commodissime liberatis, et crudae labii superioris partes sanescant, et coarctatae nares aptissime dilatentur. Adductoris igitur obiter hic mentionem iniecisse sufficiat; usum et applicandi modum postea [1]) illustrabimus.

Quodsi partibus penitius inter se unitis, adductor intra paucos dies vix ullos effectus exserit, vel fortiori nasi apicis adductione opus est, qua posteriores quidem narium margines liberantur, septum vero et alarum nasi commissurae maxime distenduntur, melius est, nares incidere, siquidem omnis vehementior pressio non solum inutilis est, sed naso etiam modo consolidato detrimentum affert. Incidendi modus hic est: Scalpellum quale Tab. V. Fig. 16. repraesentat adversa acie ad iustam longitudinem intromissum, ductu ad nasi apicem directo, duas circiter (mensurae Parisiensis) lineas, vel unam tantum et ita quidem infigatur, ut tubuli, qui prius difficilius immissi, semper dolores excitabant, sine ullo incommodo adaptari possint, narium itaque non solum margines, sed totos etiam canales incisos atque dilatatos esse testentur. Incisae nares statim immissis tubulis et adaptato adductore custodiantur necesse est, ne iterum consolidatae coarctentur, medicumque ad laboriosam curationem provocent.

§. 138.

cc) Tubulorum efficacia externae faciei pressione adaucta.

Donec tubulis aegrotus utitur, neque internae faciei cicatrix penitus confirmata est, necessarium est nasi compressorium [2]) simul in usum vocare, quo et externa facies apte figuretur, et intus excrescentes papillae tubulis facilius accommodentur. Ceterum cavendum esse, ne cutis fortius compressa detrimentum capiat, per se patet.

§. 139.

dd) Carnis luxuriantis dolentisque curatio.

Tempore quo tubulis aegrotus utitur, licet exactissime ad nasi cavum respondentibus, dolores tamen nonnunquam vehementiores percipit, qui a partibus exeunt luxuriantibus papillis inductis. Quibus lapide infernali tactis, necessarium est, tubulos per aliquot dies turundis zinci unguento illitis commutare, et lapidis infernalis usum usque adeo iterare, donec ad tubulos redire licuerit, neque crudescentes facies efficaciorem medicinam exposcerint.

§. 140.

ee) Tempus quo tubuli reiiciendi sunt.

Cicatrice penitus confirmata et nasi secretione ad sanitatis normam directa, ab

[1]) Cf. §. 171. 172. [2]) Cf. §. 141. 142.

aquae saturninae iniectionibus quidem desistendum, tubulorum tamen usus per proximam hiemem continuandus est, quod nares non solum facillime deminuuntur, sed ipsarum etiam apta conformatio plurimum ad convenientem totius nasi figuram confert. Ceterum quo tempore bombycem aromaticum cum ceteris integumentis calidis [1]) reiiciendum esse constituimus, eodem et tubuli tutissime reiiciuntur, quandoquidem resarcitus nasus iam omnibus numeris absolutus est.

§. 141.

c) Nasi apicis conformatio progrediens.

aa) Laminarum comprimentium usus.

Conformationis progredientis tempore [2]) nasi apicem retusum, complanatum, rudiorem omnino evadere, et a septo novissime assuto totius faciei dehonestamento veluti retrahi frequentissime observare licet. Duplicem nobis molestissimum istud incommodum amoliendi, scilicet latera comprimendi et nasi apicem adducendi modum chirurgia suppeditat.

Latera convenientissime duabus laminis plumbeis comprimuntur, trientem fere (mensurae Parisiensis) lineam crassis, et tantis omnino, ut partes quidem nasi apicis laterales ad alas usque commodissime exceptas contegant, anteriorem vero faciem intactam relinquant. Quas ad nasi exemplar argillaceum conformatas, omnibus enim in convalescentibus ad nasi archetypum conficiantur necesse est, Tab. VI. Fig. 4. 6. exactissime repraesentant. Figura quarta laminam dextram, sexta sinistram exhibet. Angulum utrumque *a* ita figuratum videre est, ut apicis nasi curvaturae respondeat. Quem adversum quidem convexum, aversum tamen perinde concavum esse, vix commemoratu dignum videtur. Contra marginem *d* versus, scilicet ad concavas alarum nasi partes respondentem, utraque lamina adversa non multum concava, aversa perinde convexa est, quo commodius istis convexitatibus accommodetur.

Laminis una cum tubulis utendum esse [3]) nec solas ullam securitatem polliceri, facile ex eo intelligitur, quod apta nasi conformatio ea solummodo cogitari potest, qua tantum tubuli intrinsecus resistunt, quantum laminae extrinsecus ad cutis compressionem conferunt. Immissis igitur tubulis, laminae, quarum internae facies emplastro cerussae inductae sint, ita ad nasum accommodentur, quemadmodum paullo ante expositum est. Quo facto, superest ut compressorium [4]) ad caput applicetur, eiusque clavorum trabeculae ita dirigantur, ut clavi laminis exactissime respondeant. Compressorii posituram Tab. VI. Fig. 2. repraesentat. Igitur trabeculis ad laminarum situm directis firmatisque, tot clavi utrique laminae imponantur, quot nasi apici convenienter figurando producen-

[1]) Cf. §. 135. [2]) Cf. l. m. l. [3]) Cf. §. 136. [4]) Cf. §. 165—172.

doque sufficiant. Modica tantum ipsorum rotatione opus est, scilicet cute cuilibet pressioni facillime obsequente, neque necessarium est, cutem usque adeo comprimere, donec pallescat, et aegrotus ingratam commissurae tensionem conqueratur. Accommodato compressorio laminisque, bombyx aromaticus superimponatur, qui partim trabeculis, partim clavis implicitus, sine emplastri glutinantis taeniis commodissime retinetur. Ceterum cautu opus esse, totumque nasum integumentis exceptum involvi debere, per se patet [1]). Applicatum compressorium interdiu quidem intactum servetur, noctu tamen, et quod diurnus pressionis effectus sufficit, et nocturnae aegrotantis iactationes naso facillime detrimentum afferunt, deponatur. Quietioribus aegrotis laminarum usum, si citius effectus exserere debent, per noctem etiam continuare licet. Initio compressorium saepius inspiciatur, utrum recte sedeat, an aliqua hic illic correctione indigeat, serius aegrotus ipse facili negotio sibi auxiliabitur.

Iam post aliquot quibus compressorium cum laminis adhibitum est dies, exoptatissimos eius effectus, etsi prima hebdomada praetereuntes, serius tamen, continuata per aliquot menses curatione remanentes animadvertere licet. Nasi enim apex laminis interpositus tam convenienter producitur, ut et angustior et subtilior omnino appareat. Praeterlapso igitur mense, vel duobus etiam, laminarum usus per integros dies intermissus, si effectus remanet, plane negligendus, sin minus, recipiendus est.

§. 142.

bb) Adductoris usus.

Quamvis comprimentibus utrinque laminis nasi apex convenientissime plerumque figuretur, fieri tamen potest, ut nasus ad laterum pressionem non satis respondeat. Igitur necessarium est, auxilia in promtu habere, quibus inde nata incommoda quam tutissime amoliamur. — Egregium adductor (Tab. VI. Fig. 9.) effectum exserit, quem alii cuidam incommodo auxiliari, ante expositum est, vel solus, vel melius etiam una cum laminis adhibendus. Sic enim nasi apex brevissimo sex vel octo dierum spatio simul adductus simul utrinque compressus duplice agente vi tam convenienter figuratur, ut solae iam laminae plane sufficiant.

§. 143.

d) Nasi dorsi laterumque conformatio progrediens.

Translata quidem cutis ad archetypi normam conformata, quae et aequaliter in curti nasi faciem transit, neque rudioribus finibus molestisque lineamentis distincta est, nulla conformatione progrediente indiget, dorsum tamen non perinde atque in archetypo cur-

[1]) Cf. §. 135.) Cf. §. 135.

curvatum et commissurae lata prominensque cicatrix curationem secundariam magnopere expostulant.

Mendosa dorsi curvatura lamina plumbea corrigitur, trientem (mensurae Parisiensis) lineam crassa, convenientem in latitudinem, tantamque in longitudinem patente, ut a nasi radice apice tenus pertineat, cuius interna facies emplastro cerussae inducta sit, et argillacei exemplaris [1]) curvaturas quam exactissime repraesentet. Qua imposita (Tab. VI. Fig. 2. 5.) compressorium ad caput applicatur, ac mediae trabeculae clavi ad nasi dorsum convenienter directi, usque adeo rotantur, donec translata cutis satis omnino compressa videatur [2]). Dorsum intra mensem vel sesquimensem, quod temporis spatium plerumque sufficit, melius figuratum, nulla amplius lamina indiget. Huius itaque usus per dies integros intermissus, si vitium iam non revertitur, plane negligatur, sin minus, receptus usque continuetur, donec ad propositum perventum sit.

Lata et prominens cicatrix initio comprimenda, sin id parum profecerit, excidenda est. Pressionem laminis plumbeis ad salebrarum formas respondentibus iisque trabecularum lateralium clavis apprimendis commodissime instituere licet.

Igitur si post mensem vel sesquimensem tumidae cicatrices nondum adeo deminutae apparent, ut translata cutis aequaliter in curti nasi faciem transeat, vel depressae iterum assurgunt, omnemque pressionem aegre ferentes indurescunt rubescuntque: res ad scalpellum pervenit, quo supereminens cutis excidenda est. Ceterum cavendum esse, ne cutis praepropere, i. e. antequam externae internaeque cicatrices penitus confirmatae sunt, excidatur, facile ex eo intelligi potest, quod omnis vulnerationum iteratio partibus modo consolidatis detrimentum affert. Simili ratione prominentes cicatrices non uno eodemque tempore, sed ita excidendae sunt, ut altera semper pars vulneretur, si prima consolidata est. Convenientissimum scalpellum, scilicet iam prius laudatum in Tab. V. (Fig. 5.) delineari curavimus. Quo dextra comprehenso eiusque facie in curto naso posita, nasus leviter adducitur, et prominens cicatrix iteratis ductibus adeo resecatur, ut translatae cutis aequalis in ceteram faciem transitus sit. Aegrotus vix obtusum dolorem conqueritur. Sola enim translata cutis inciditur, omni fere sensu destituta. Sanguinis profluvium facillime linamento sicco sistitur, serius penicillis zinci unguento inductis commutando, quod recentia vulnuscula brevissimo aliquot dierum spatio ad cicatricem perducit.

Quae denique conformationis progredientis adminicula et excisurae in Germanica methodo rarissime, in Indica frequentius in Italica frequentissime opus sunt, ea magis minusve necessaria videntur, prout cutis vel negligentius vel accuratius sutura comprehensa est.

1) Cf. §. 31. 2) Cf. §. 141.

§. 144.

c) Curatio secundaria, qua color naso vegetus conciliatur.

Nasus etsi convenientissime figuratus alienam tamen speciem prae se fert, nisi similiter ac facies coloratus. Coloris vitium plerumque duplex animadvertitur. Nam cicatrix plerumque et in nasi dorso et in alis saturatius quam cetera faciei cutis rubescit, et contra translata cutis cretaceo pallore faciem molestissime dehonestat. —

Cicatricis rubori cutisque ab ea tensioni ex omnibus tam veterum [1]) quam recentiorum medicamentis tutissime auxiliatur zinci unguentum, quo cutis aliquoties per diem perfricata insuper penicillis illito contegatur. Saluberrimum huius remedii effectum iam brevissimo aliquot dierum spatio animadvertere licet, ipsaque cicatricis curatio sine ullo alio medicamine intra paucos menses ad finem perducitur.

Difficilius cutis translatae pallor evanescit, quippe qui superficialem non solum a naturae norma aberrationem, sed vis vegetativae etiam et penitioris texturae [2]) statum praeternaturalem potissimam causam agnoscit. Nam cutis penitus fere in telam cellulosam [3]) transfigurata, et generalioris conformationis [4]) indolem consecuta, superficiem repraesentat, similiter ac tota ipsius massa coloratam [5]). E quibus iam facile intelligi potest, cutem relicto inferiori vis vegetativae gradu, quousque translata descendit, superiores de integro ascendere debere, et ita omnino transfigurandam esse, ut recuperata singularis conformationis indole, faciei non solum similior evadat, sed penitiorem etiam cum vicinis partibus communionem ineat. Quod serius naturam sponte perpetrare, extra omnem dubitationis aleam positum est. Nam stria angusta, rubescens, eaque similiter fere ac cetera facies colorata et cicatrici contermina licet sensim et pedetentim, adeo tamen augescit, ut post annos totum nasum cum apice occupet, cutemque ad pristinum vis vitalis statum accessisse verissimo veluti testimonio manifestet, praeterquam quod sensilitate perinde redeunte, novum nasum omnibus numeris absolutum, eademque qua cetera facies vitae actuositate instructum esse, iam non dubitandum videatur. —

Ars officiosae naturae suppetias ferens, bina nobis praesentissima auxilia suppeditat, scilicet solem et balsamum vitae Hoffmanni, ceteris, quod plurima nos experimenta docuerunt, facile praeferenda. Balsamum vitae Hoffmanni bis die pallidae cuti infricetur, nimirum post reiecta ista adminicula, nisi nasum nimis lubricantem progredienti conformationi minus idoneum evadere volueris. Proximis iam hebdomadis eximios huius medicaminis effectus observare licet. Nam cutis post singulas perfrictiones turgescens, rubicundior et vegetior omnino, maiorem haud dubie sanguinis copiam attrahit.

[1]) Cf. §. 76. [2]) Cf §. 101. 105. 151. [3]) Cf. L. m. l. [4]) Cf. L. m. l. [5]) Cf. L. m. l.

Alterum igitur auxilium solis radii sunt. Quorum usum usque adeo dilationem recipere debere, donec reiectis laminis plumbeis [1]) nasus per longius temporis spatium nudari possit [2]), vix dignum est quod commemoretur. Depositis laminis, aegrotus operto capite per horas in aprico sedeat, naso ad obvios solis radios directo. Aestate calida naso usque nudato in cubiculo habitet versus meridiem posito, quo saepius solem admittere possit. Vere, auctumno, hieme nasum opertum quidem custodiat [3]), si in publicum progreditur, domi vero nudatum per aliquot horas quotidie vitro ustorio placide leniterque foveat. Ita enim fit, ut frigidae etiam anni tempestates eosdem quos aestas effectus exserant, et naso ad maiorem vitae actuositatem excitato, curationem citius ad finem perducere liceat.

§. 145.

f) Pilorum exerescentium curatio.

Pilos post adhibitam Italicam methodum crebriores, post Germanicam rariores, post Indicam nullos excrescere, e propositis intelligere est. — In brachio quidem cutis ad restituendum nasum eligitur, pilis quam maxime destituta [4]), horum tamen paucissimi si cutis modo in angustius contracta est [5]), crebriores facti novum nasum dehonestant, quod e Tab. IV. Fig. 2. 3. videre est lobum repraesentantibus per longissimum temporis spatium praeparatum. Praeter cutis vero in angustius contractionem ipsius quoque penitior transfiguratio [6]) efficit, ut pili non solum augeri videantur, sed revera etiam augescant. Nam e partibus cellulosis, multo adipe intertextis iisque inferioris vis vitalis indolem prae se ferentibus plurimos pilos excrescere, omnibus cognitum et fere tritum est. Unde cutem similiter transfiguratam similia etiam transfigurationis ipsius signa exhibere, facile coniicere licet. Coniecturam minime falsam fuisse, observationes comprobarunt. Singulos enim pilos crassiores quam in brachio, fere setaceos et crebriores, quum nasus palleret, quum vitae actuositate augesceret, tenuiores rarioresque factos adeo tandem deminutos esse, ut inter translatam cutem ceteramque faciem nulla fere perspicua differentia intercederet, non semel animadvertimus. —

Quarum observationum ratione habita, quam pili e naso excrescentes curationem exigant, haud difficile est intellectu. — Quum enim inferiori vis vitalis gradu crebriores, superiori rariores progerminare, luculenter demonstratum sit, eam omni modo adaugendam atque excitandam esse, iam satis constat. Igitur quae translatam cutem ad auctiorem vitae actuositatem provehere remedia modo traditum est, eadem pilos quoque deminuere per se patet. Lectorem itaque ad proposita amandasse et id solum commemorasse sufficiat, quod varii pilos amovendi modi (convalescens enim curationem quae in

[1]) Cf. §. 141, 142. [2]) Cf §. 155. [3]) Cf. L. m. l. [4]) Cf. §. 62. 82. [5]) Cf. §. 100, 101. [6]) Cf. §. 101.

oculos cadat magnopere expostulat) ratione habita effectus quem exserant, maxime inter se differunt. Nam pilos qualicunque modo resectos valde increbrescere cognitum est. Contra adustionem cereoli flammula citius praetervecta institutam nullum detrimentum afferre saepissime observavimus. —

Et haec hactenus. Conformationis progredientis expositionem allatis tam veterum quam recentiorum experimentis adeo nos absolvisse, ut pro artis litterarumque ut est statu et conditione nihil desiderandum supersit, confidenter speramus.

Morbi historia.

§. 146.

Quam morbi et operationis historiam tamquam Germanicae methodi exemplum enarramus, ea iisdem quibus ceterae [1]) rationibus [2]) electa est. Ceterum priorum methodorum emendationes primo experimento tam prosperum successum habuisse, ut aptae nasi conformationis et citissimae curationis ratione habita, nihil desiderandum superesset, maxime admirandum videtur.

§. 147.

Augusta Guilelma Braun, Berolinensis, centurionis praetoriani filia, annos nata viginti quatuor, gracilis et pallida, ceterum specie satis venusta prospera usque valetudine gavisa erat, donec ante hos septem annos malum herpeticum nasi apicem cum septo occupans nancisceretur. Quo in ulcus exedens idque maxime refractarium transmutato nullum medicorum ab arte auxilium impetravit, nec ipsa tandem trimestris in nosocomio caritatis instituta curatio suppetias tulit.

Sub finem M. Februarii A. MDCCCXVII. nomen in instituto clinico-chirurgico professa est. Quo tempore ulcus halone herpetico circumdatum tanta incrementa ceperat, ut crudescente et exesa interna nasi facie et septum cartilagineum penitus destructum et alas cum apice fere consumtas atque collapsas repraesentaret. Magis etiam molestissimae narium fissurae faciem dehonestare videbantur.

Accuratissimo aegrotantis examine ne ullam quidem peculiaris alicuius causae suspicionem suppeditante, hydrargyrum muriaticum corrosivum simul intus simul ad locum affectum tamque prospero successu adhibitum est, ut ulcus mox in melius transmutatum brevissimo sesquimensis spatio sanesceret. —

[1]) Cf. §. 94. [2]) Cf. §. 55.

Confirmata cicatrice et malo penitus exterminato, cavum quidem nasi obvelatum, arcus tamen cute valdopere extenuata et deficiente narium septo collapsus apparuit. Quinetiam cute in brevius contracta, nares adeo coarctatae erant, ut respiratio per ipsas fere fieri non posse videretur.

§. 148.

Aliquanto post puella talem adspectum praebuit, qualem effigies (Tab. III. Fig. 1.) ad naturam accuratissime delineata exhibet. In qua cum dehonestantem nasi collapsum tum multiplices cutis omni cartilaginum fultura destitutae plicaturas et nasi alarum defectum videre est. Narium locum angusta in transversum patens fissura occupat, earumque veluti reliquias repraesentat. Cuius in margine superiori duplex crena in oculos cadit, quae pristinum herpetici ulceris ambitum indicat.

Quibus ita se habentibus, adolescentula prosperum quidem curationis successum gavisa, nasi tamen ad vivum restitutionem magnopere exoptavit, quum molestissimi dehonestamenti miseriam persentisceret, et saepius operationum felicissimis sub auspiciis perfectarum testis fuisset.

§. 149.

Muliercula per sex integros menses curatissime observata, quum cicatrix neque recrudesceret, et optimus eius habitus maximam securitatem polliceretur, operationis diem XImum M. Septembris indiximus, quo die hora decima matutina coram Ill. Richtero D. Sacrae Regiae Maiestatis a Consiliis rerum medicinalium intimis et Exp. Seegert D. praefecto chirurgis superiori, Jüngkenio, Michaeli, Lehwessio Dibus, Nary praefecto chirurgis superiori, Martensio chirurgo primario et Eduardo Graefe Dr. fratre ministrorum munere fungentibus excisum e brachio lobum transtulimus [1]). Peculiarem operationem inchoandi modum collapsa quae nasi cavum operiebat cutis [2]) exegit. Quae media cum subiacentibus partibus consolidata ab excisuris lateralibus [3]) libera mansit ideoque nasi cavum usque clausum tenuit. Igitur duabus in narium regionibus incisuris ad specilli sursum utrinque immissi crenam convenienter directis adeo diffidimus, ut liber quidem turundis [4]) ad choanas usque permeatus restitueretur, nimia tamen curti nasi vulneratio commodissime evitaretur.

Sanguinis e cutis lobo profluvium sponte desiit, e curto naso frigida facillime cohibitum est. Lobo ad curtum nasum omnibus numeris respondente, sutura prosperrime successit. Brachium apte figuratum et capiti accurate alligatum convenientissimam usque

1) Cf. §. 115. 124. 2) Cf. §. 148. 3) Cf. §. 121. 124. 4) Cf. §. 117. 121.

posituram retinuit. Adolescentula durante operatione ne ullos quidem dolores conquesta et paulo post lecto tradita conveniente victu [1]) uti iussa est.

Vespere doloribus quidem in assuta cute vacua, molestam tamen in cubito et humero tensionem conqueritur, pallescit, ceterum bene se habet. Pulsus parvus mollis. Praescribuntur articulorum dolentium e linimento volatili cum opii tinctura mixto perfrictiones, omnique medica curatione supersedendum videtur.

D. XII^mo^ M. Sept. Aegrota usque vigilat levesque horripilationes persentiscit. Corporis temperatura immutata manet, facies pallescit, et pulsus frequentior minor, mollior facillime comprimi potest. Lobi curtique nasi orae exactissime inter se commissae prope commissuram modicum ruborem angustissimamque flavescentis materiae fibrosae striam repraesentant. Medius lobus licet omni inflammatione vacuus minus rubescat intumescatque, digitorum tamen tactum aegre fert. Articulorum dolores tensivi desinunt.

Manifesto igitur irritationis statu [2]) ad transitum in torporem maxime proclivi, vinum bonum subinde et valerianae infusum cum aethere acetico mixtum hora quaque secunda cochleari mensura exhibetur. Ceterum commissura balsamo Commendatoris e penicillo illita et binis penicillis in eodem medicamine tinctis altero superiori altero inferiori cutis translatae faciei impositis, cubitus et humerus medicamentis ante laudatis perfricantur partesque ligamentis perinde excipiuntur atque prius expositum est.

D. XIII^tio^ M. Sept. Vigiliae, sed nulla suspiciosa aegritudinis incuria. Horripilationes nullae, pulsus omnino maior. Lobus posituram quidem convenientissimam obtinet, aegrota tamen doloribus faciei tensivis vexatur. Commissura sicca. Infima utraque fibula aliquantulum remissior. Translata cutis prope commissuram colore saturo lucens, ruborem ad medium usque aequaliter deminutum repraesentat, et modice turgescit. Suppuratio cellulosa lobi in facie mediocris progerminantes papillas carneas refert. — Aegritudine igitur in melius conversa pridie praescripta medicamina usque adhiberi iubentur. — Remissiores istae fibulae adstringuntur.

D. XIV^to^ M. Sept. Post placidum somnum refectio. Brachii positura iam nullam molestiam affert. Vulneris oris penitus [3]) consolidatis, omnis sutura tutissime eximitur. Qua exemta, linteolum brachii vulneri impositum propter foetidioris puris secretionem primum novo commutatur [4]), et reliqua tam medica quam chirurgica curatio immutata continuatur.

D. XV^to^ M. Sept. Valetudo et curatio ut pridie. Cellulosa translatae cutis facies penicillis balsamo Arcaei inductis obligatur, nimirum Commendatoris balsamo iam non ad restitutam lobi vitalem actuositatem respondente.

1) Cf. §. 123. 2) Cf. §. 126—128. 3) Cf. §. 49. 4) Cf. §. 127.

D. XVI^to M. Sept. Cicatrix ad duas totius longitudinis trientes confirmata apparet, scilicet commissura hic illic et praecipue in nasi dorso sana epidermide inducta. Plurima quae prius admodum suppuraverant suturae foramina balsami Commendatoris ope ad cicatricem perducta sanescunt.

Vegetissimae cellulosae faciei papillae pus secernunt spissum flavescens sanissimum.

Quae perfecta et citissima quidem vulneris consolidatio una cum convenientissima translati lobi positura et facierum aptissimo consensu summae certe qua singuli operationis actus et inchoati sunt et ad finem perducti accurationi debita est. Ipsam quoque veterum methodorum emendationem fecisse, ut proximis post immissam suturam diebus perfecta fere inter translatam cutem et curtum nasum vitae commercio intercederet, ideoque lobus tutissime de brachio resecari posset, extra omnem dubitationis aleam videtur positum esse.

§. 150.

XVII^mo M. Sept. sexto scilicet post immissam suturam die lobus accuratissime observata transversa linea [1]) (*l, m* Tab. IV. Fig. 6.) de brachio resecatur. Modicum quidem e cruda translatae cutis facie, maius tamen quam e praeparata secundum Italicam methodum [2]) lobo sanguinis profluvium est. Infima consolidati lobi pars a brachio non multum reflexa apparet. Cutis penitiorem quidem structuram similiter ac prius descripsimus [3]) commutatam, plura tamen puncta sanguinea, telam cellulosam laxiorem, rosaceam magis quam lacteam [4]) multoque adipe intertextam repraesentat. Resectus lobus omnem statim ruborem caloremque amittit, citissime itaque obligetur [5]) necesse est. Quo ligamentis excepto, ad curandum brachii vulnus aggredimur, graveolente pure inquinatum, fuscum, discolor, omniaque ut breviter dicamus summi torporis signa exhibens. Stato recentis vulneris sanguine, balsamum Arcäei cum pulvere Myrrhae imponitur, ceterisque sicut praeceptum est [6]) curatis, brachium involutum mitella excipitur.

D. XVIII^vo M. Sept. Valetudo optima. Translata cutis perinde vegetam speciem prae se fert et calore praedita est, atque e brachio nondum exemta. Reflexus lobus sensim et pedetentim descendere et brachii vulnus haud paullo melius factum videtur. Curatio qualis pridie.

A d. XIX^no M. Sept. usque ad XX^mum. Valetudo prosperrima. Infima utraque commissurae pars consolidata quidem usque adhuc, nondum tamen cicatricem confirmatam referens, sanissima iam epidermide inducta apparet. Reflexus cutis lobus

1) Cf. §. 89. 2) Cf. §. 104. 3) Cf. §. 101. 4) Cf. L. m. l. 5) Cf. §. 90. 6) Cf. L. m. l.

emplastri taeniis [1]) ad iustam posituram redigitur. Brachii vulnus vegetis papillis inductum optimum pus secernit, ideoque zinci unguento quotidie obligatum ad cicatricem perducitur.

D. XXI^mo M. Sept. Agaricus ad translatam cutem applicatus, sponte delabitur. Imus lobus haud mediocriter in brevius contractus apparet. Emplastri taeniae tam citos effectus exserunt, ut cutis agglutinatis emplastri taeniis [2]) iam ad transversam septi narium posituram commodissime dirigi possit.

A d. XXII^do M. Sept. usque ad XXV^tum. Cellulosa translatae cutis facies cicatrice penitus fere confirmata inducta est, haud mediocriter quidem in brevius contracta, ita tamen, ut imus lobus ad septi posituram quod modo commemoravimus commodissime directus septo conformando sufficiat. Igitur cute vegetissima ad continuandam operationem provocante, proximum diem indicimus, quo septum excidatur.

§. 151.

D. XXVI^to M. Sept. Septi excisio brevissimo interiecto tempore cutis translationem die XI^mo et lobi de brachio resectionem die XVII^mo M. Sept. factam praeterlapsis igitur post illam quindecim, post hanc novem diebus sequitur. Vix necessarium est a praeceptis cum ad demensionem [3]) tum ad excisionem [4]) suturam deligationem [5]) pertinentibus aliqua saltem ex parte recedere. Omissa igitur harum operationis partium accuratiori expositione, id solum commemorasse sufficiat, quod translati lobi laesiones ne ullos quidem, excisura tamen in curto naso transversa [6]) vehementes dolores excitat. Vulnerata cutis similiorem isti texturam refert, quam post adhibitam Italicam methodum in oculos cadere prius commemoravimus [7]). Solidior enim et fere lactea apparet solisque accumulatioribus adipe repletis cavernulis et punctis sanguineis pluribus ad pristinum statum accedere videtur [8]).

A d. XXVII^mo M. Sept. usque ad d. XXVIII^rum. Convenientissima commissarum partium inflammatio. — Adductis remissioribus fibulis, pristina deligandi ratio servatur.

D. XXIX^no M. Sept. Oris penitus inter se unitis, sutura eximitur, et novo septo emplastri glutinantis taeniis excepto, solita deligandi ratio observatur.

A d. XXX^mo M. Sept. usque ad d. III^um M. Octob. Commissura solida epidermide inducta, cicatrix penitus confirmata videri potest. Narium turundae denuo balsamo Arcaei illitae immittuntur, quo vegetiores intus papillae progerminent. Cetera deligandi ratio usque immutata servatur.

§. 152.

1) Cf. §. 91. 2) Cf. L. m. l. 3) Cf. §. 131. 4) Cf. §. 132. 5) Cf. L. m. l. 6) Cf. L. m. l. 7) Cf. §. 150. 8) Cf. L. m. l.

§. 152.

D. IV^to M. Octob. Narium cicatrices intus incrementa capiunt. Ipsae non multum contractae et nasi apex latior atque retusus apparet. Turundarum loco tubuli [1]) zinci unguento illiti immittuntur et laminae cum compressorio in usum vocantur, quae apicem aptius figurent [2]).

A d. V^to M. Octob. usque ad d. VI^tum. Nasi apex aptius iam conformatur. Appressis tubulis labium superius crudescit. Alterius alae interna in facie luxuriantes quae dolores excitant papillae excrescunt. — Igitur lapide infernali in usum vocato, nares per immissum adductorem [3]) cum compressorio convenienter coniunctum adducuntur. Cetera deligandi ratio immutata servatur.

A d. VII^mo M. Octob. usque ad d. X^mum. Subsidentibus papillis luxuriantibus, dolores evanescunt. Curatio qualis pridie.

A d. XI^mo M. Octob. usque ad d. XVI^tum. Nasi figura convenientissima. Foramina cicatricibus inducta vix sub adspectum cadunt. Commissurae cicatrice ad nasi faciem omnibus numeris respondente, aequalis translatae cutis in curtum nasum transitus observatur. Conterminus tantum cutis rubor novi nasi fines indicat. Cuius dorsum ad argillaceum exemplar omnibus numeris respondet, cavum pituitam secernit, perinde atque in sanissimo. Solae nares tubulis non satis obsequuntur, efficiuntque, ut labium superius usque crudescat. Fortiori etiam ipsarum adductione nasi alas et septi commissuram distendente, necessarium est ad scalpellum confugere, quo anteriores narium partes accuratissime observatis praeceptis ad sesquilineam (mensurae Parisiensis) inciduntur. Quibus apte dilatatis [4]) et immisso adductore, compressorium denuo ad caput applicatur. — Aegrota ab incisionibus leviorem quidem, evidentem tamen dolorem percipit.

A d. XVII^mo M. Octob. usque ad d. XIX^num. Nares cum septo iam adeo meliores factae sunt, ut ad archetypum omnibus numeris respondeant. Tubuli sine ulla difficultate immittuntur et cruda labii superioris cutis sanescit. Quibus ita se habentibus, adductor reiicitur.

A d. XX^mo M. Octob. usque ad d. XXIII^um. Incisurae quibus nares capaciores factae sunt, iam confirmatas cicatrices repraesentant. Nasus omnino tam convenienter figuratus apparet, ut laminae ad nasi apicem per nonnullas tantum horas quotidie applicentur necesse sit. Tubulorum usus per dies noctesque continuatur. Pili crebriores deuruntur. Cicatrix usque rubescens zinci unguento et mane et vespere imposito curatur. Pallor balsamo Hoffmanni in ruborem magis magisque commutatur Bombyx aromaticus naso frigus aegre sustinente nondum reiici potest.

1) Cf. §. 136. 2) Cf. §. 141. 3) Cf. §. 137. 4) Cf. L. m. l.

A d. XXIV^to M. Octob. usque ad d. XXVI^tum. Cicatrix zinci unguento usque curata vix perspicuas ruboris veluti reliquias repraesentat. Igitur partibus iam penitiorem vitae inter se communionem ineuntibus, atque novo naso omnino ad naturae normam respondente, adolescentula quae et tubulos adaptare et cicatricem zinci unguento curare et bombycem aromaticum sibi ipsa superimponere potest, horum remediorum usum [1]) usque ad proximam aestatem continuare iussa, prosperrime sanata demittitur.

§. 153.

Sub finem mensis Octobris sanatae adolescentulae effigiem (Tab. III. Fig.) ad naturam accuratissime delineari curavimus. In qua commissuram nasi ad vivum restituti stria angusta denotatam videre est, quae tantum abest, ut prominentem cicatricem indicet, ut potius subtilissimae cicatricis ruborem tamquam unicum suturae vestigium perhibeat. Ceterum novi nasi cum arcus, tum lineamenta adeo cum ceteris faciei lineamentis consentire omnes confitebantur, ut muliercula satis venusta specie videretur. Nasus enim apicem neque rudem, neque collapsum, sed ad archetypi normam figuratum repraesentabat. Foraminum cicatriculae nullae sub aspectum cadebant, scilicet sutura proximis post operationem diebus exemta. Dextram narem perinde convenienter figuratam effigies ex parte tantum exhibet. Sinistra quae in effigie aversa est, et septum cuius dextri marginis pars oculis patet ad ceteras partes exactissime respondebant.

§. 154.

Septimo mensis Novembris die sanatam adolescentulam societati medicorum Berolinensium, quae praeside Perill. Hufelandio S. R. M. a Consiliis status, gaudet, repraesentavimus. Qui resarcitum nasum ceteros Italica et Indica methodo ad vivum restitutos longe post se relinquere, atque lineamentorum consensu adeo reddito, ut puella vere formosa haberi posset, omni spe superiorem evadere, uno quasi ore effati sunt, nimirum deleto tunc temporis cicatricis rubore et commissura vix perspicua ad aequissimum hocce iudicium adducti.

[1]) Cf. §. 134 — 145.

SECTIO VI.

Doctrina de vestimentis ceterisque nasum inserendi et conformandi adminiculis.

§. 155.

Exposita nasum ad vivum restituendi ratione, superest ut varia quorum obiter mentionem iniecimus et operationis et progredientis conformationis adminicula exactius recenseamus. Huc vestitus pertinet, quo brachium ad caput deligatum retinetur, nec minus nasi compressorium cum adductore et tubulis, quorum fabricam licet eam perfunctorie descriptam prius allata exhibeant, accuratius tamen hac opusculi sectione commonstrabimus. Nam cetera, quorum exactas descriptiones, quum dilationem vix recipere viderentur ipsis operationum expositionibus intertexere non dubitavimus iterum descripta tradere, supervacaneum haberi potest. Lectorem igitur et bacilla ligatoria [1]) et corpuscula eburnea suturae auxilia [2]) et linteolum per brachii vulnus transmittendum [3]) et acus [4]) et varia scalpellorum genera [5]) et comprimentes laminas [6]) accuratius cognoscere aventem ad proposita amandasse sufficiat.

A. Vestimenti deligatorii descriptio.

§. 156.

Plurimum ad convenientem vestitus deligatorii formam interesse, facile ex eo intelligitur, quod, si brachium incommodius alligatum aegrotus immobile retinere nequit, nimirum tensivis articulorum doloribus vexatus, iisque vix tolerabilibus, irreparabiles commissurae tensiones omnem prosperi successus spem praecidunt. Taliacotius vestimen-

[1]) Cf. §. 26. 2. [2]) Cf. L. m. l. 5. [3]) Cf. §. 79. [4]) Cf. §. 26. 1. [5]) Cf. §. 24. 51. 106. [6]) Cf. §. 141.

tum adhibet, quod, licet maximam securitatem polliceatur, speratos tamen effectus neutiquam exserit, varia igitur ratione emendandum visum est. Taliacotianum prius, emendatum a nobis postea describetur, quo clarius utriusque deligandi methodi differentia in oculos cadat.

§. 157.

a) Taliacotii vestimentum deligatorium.

Vestimentum deligatorium (vestitum insititium Taliacotius nuncupat [1]) quod in Tab. VI. Fig. 1. delineari curavimus, e tunica cum cucullo constat et ligamentis brachialibus.

Cucullí *a* et tunicae *b* formam e figura modo laudata videre est. Haec manuleata non est, sed simplicia tantum foramina refert, excipiendis neque contegendis brachiis. Pars pectoralis fissa taeniarum seriem utrinque repraesentat, quibus contracta arctius in corpore sedeat. Ad tunicam cucullus in cervice alligatur, qui caput, exceptis auribus et facie operit. Illae per foramina lateralia ovata transmissae, liberae manent, haec fronte tantum et malis ex parte contegitur.

§. 158.

Alteram vestimenti deligatorii partem ligamentum brachiale conficit (Tab. VI. Fig. 1. *e*, *d*, *c*, *f*, *g*) cuius media parte ad cubitum (*c*) applicata, capita hic illic distribuuntur. — Primum caput a cubito *c* ad axillam *g* usque descendit, ubi cum fascia axillari in unum adductum alligatur [2]). Ipsa cuius modo mentionem iniecimus fascia axillaris inde ab axilla infra partem *g* trans pectus et oppositum humerum profecta et tergori circumvoluta ad locum reducitur unde exiit, ubi et humerum sustinet et ligamenti brachialis caput excipit, quod a cubito descendit. Alterum ligamenti brachialis caput a cubito *c* trans partem *d* ad carpum usque ducitur, ubi habena transversa *i* ad cucullum deligatum retinetur. Igitur ligamento brachiali ad axillam (*g*) atque ad caput (*i*) alligato, brachium immobile servatur, et curto naso proximum. Quem ad effectum capita lateralia multum conferunt, quorum dextrum superius *e* ad caput traductum supra aurem (*k*) taeniolis ad cucullum deligatur, sinistrum in figura aversum, itidem accommodatur [3]). Dextrum inferius cum tunica ad partem *l* in unum adductum superiori auxiliatur.

Denique ad partem *m* brachio circumvoluta fascia sub adspectum cadit, qua cruda lobi area defenditur.

[1]) Cf. Taliacotius de Curtor. chirurg. Lib. II. Cap. 11, 12. Icon 6, 7, 8.
[2]) Cf. L. m l Icon 7, 8.
[3]) Cf. L. m. l. pag. 57. Icon 7.

§. 159.

b) Vestimentum deligatorium emendatum.

Priusquam ipsam emendati vestimenti ad descriptionem nos accingimus, necessarium est, varia obsoleti istius quae ad emendationem provocarunt vitia et incommoda curatius demonstrare. His primo oculorum adspectu latentibus, vestimentum deligatorium ad exemplum Taliacotiani confectum aegrotantibus experimenti causa [1]) applicari iussimus. Quod quum plures per dies arctius sedisset (fortissime enim adstringendum erat, ut brachium apte retineret) aegroti intolerabiles humeri cubitique dolores ad manum usque propagatos conquesti sunt. Ligamentis enim brachialibus ita dispositis (Tab. VI. Fig. 1.) ut media ipsorum parte in cubito, vel potius in olecrano (*c*) posita, capita inde ad cucullum veluti a centro ad peripheriam proficiscerentur, omnis per quodcunque caput adaucta adducendi vis, solum in olecranon reflexa, molestissimos statim dolores excitavit, priusquam brachium iustam ad posituram directum aliquem firmitatis gradum assequeretur. Quin etiam brachium inter cubitum et humerum commodioribus ligamentis carens vix retineri posse aegrotantes magnopere conquesti sunt. Quae, quum ita se haberent, necessarium visum est, fasciam conveniente latitudine applicare, cuius media parte in brachio inter axillam *g* et cubitum *c* posita, extremitates capiti apte circumvolutas in occipite cucullo affiximus. Novum hocce auxilium aegrotantibus quidem levamentum praestitit, omnem vero molestiam depellere non potuit. Altera igitur fascia et tertia brachium vinximus, illa paullo inferius (*g*) hac superius (*c*) posita, quibus applicatis, brachium, levata omni molestia convenientem quidem posituram commodissime retinuit, subiacentia vero ligamenta (*c*, *d*, *f*, *g*) adeo remissa adeoque supervacua visa sunt, ut, quum experimenti causa demta essent, brachium solis fasciis et habena ista transversa (*i*) deligatum posituram tutissime servaret. Ita tandem factum est, ut aegroti per aliquot dies ligamentis et arcto vestitu exercitati, brachium hoc modo commodius retineri facile concederent, seque longius per temporis spatium in ista brachii positura persveraturos esse, libentissime pollicerentur, si modo nova quadam molestia liberati essent, nimirum a latioribus fasciis allata, quippe quae faciem adeo obvelabant, ut brachio quoque inferne et antibrachio superne reliquum spatium clausum tenente, exiguus tantum spiritui ducendo introitus superesset. Consequens erat, ut facies valdopere incalesceret, et aegrotus adeo angeretur, ut fascias hac sola de causa demere necessarium videretur. Quae quum ita se haberent, commodam brachii posituram servare novamque istam molestiam depellere conati, sat magnas utrinque e fasciis partes excidimus, novisque factis marginibus, deminu-

[1]) Cf. §. 112.

tas fascias implicatis taeniolis in angustius etiam contraximus. Ita emendatum brachiale ligamentum brachium quidem et caput exceptum custodire visum est, latera vero facile permeabilia reliquit, quod e Tab. VI. Fig. 3. exactissime delineata videre est. Quibus propositis, emendationum nostrarum rationes clarissime elucescunt, nec impedit quidquam quo minus ipsam vestimenti novissime in Germanica nasum restituendi methodo prosperrimo successu adhibiti ad descriptionem transeamus.

§. 160.

Emendati vestimenti cucullus e recente et firmo linteo confectus (Tab. VI. Fig. 3. *a.*) et tunica (*b*) a Taliacotianis eo differunt, quod ille partibus lateralibus non rectis [1]) a malis ad collum descendit, sed obliquis, commodeque excisis ad mentum transit, quod operculis utrinque involutum convenientissime excipit. Utrumque laterale pittacium eum effectum exserit, quod taeniis in collo contractum, cucullum a vertice dimoveri vel alio quolibet modo distendi prohibet. Praeterea habena e duplici linteo confecta et quatuor digitos transversos lata media summum ad cucullum assuitur, quae taeniis utrique extremitati adnexis contracta, carpum excipiat retineatque. Cuius habenae carpialis locum (*d*, *d* Fig. 3.) quoque in aegrotante experimentis quam accuratissime institutis inveniendum esse, per se patet. Necessarium quoque est sex taenias ad cucullum assuere, retinendis ligamentis lateralibus. Quarum binas in nodum contractas pone sinistram aurem videre est (*g*, *g*). Alteras binas dextro in latere perinde dispositas figura non exhibet, tertias occiput repraesentat (*e*, *e*). Usum facillime intelliges, si modo super ligamenta lateralia in unum comprehensas et in nodos contractas intutus fueris. Haec enim (*p*, *q*, *r*) tribus locis retenta neutiquam dimoveri possunt, neque e positura sua excedere. Denique annulus (*f*) e taenia lintea confectus cucullo in occipitis regione adaptandus est, excipiendae taeniae, qua caput, si necessarium visum est retrahi (*k*) possit.

Minoribus tunica emendationibus indigere visa est. Quae ubi cucullo adnectitur (*u*, *u*) pariter atque imo in margine clavum linteum assui curavimus, quo firmius totum vestimentum evaderet. Sub axilla sinistra (*i*) annulum linteum animadvertere licet, transmittendae taeniae, qua brachium si opus est, sinistrorsum adducatur. Similem dextrum latus annulum exhibet, brachio dextrorsum trahendo, cui immissa taenia aliqua ex parte (*u*, *x*) in oculos cadit. — Tertium tunica annulum in dorso repraesentat (*k*) cuculli annulo (*f*) cuius usum modo commemoravimus, respondentem. — Clavo (*h*, *h*) toruli vel taeniae alligantur necesse est, retinendis braccis, quas zonulis infra genua retinendas esse, nisi tunicam sursum dimoveri volueris, per se patet.

[1]) Cf. §. 157. Tab. VI. Fig. 1.

§. 161.

Ligamentum brachiale adeo commutatum est, ut nullam fere cum Taliacotiano similitudinem exhibeat. Alteram eius partem mitella lintea, alteram sex habenae laterales conficiunt.

aa) Mitella (Tab. VI. Fig. 3. *l*, *m*, *n*, *o*) sit satis firma e duplici linteo consuta, tantamque in latitudinem patens, quanta dimidium brachium ita excipiat, ut internus eius margo ad medium internum brachii latus, et externus (*m*, *o*) ad medium externum usque pertineat. Inde ab olecrano *s* usque ad marginem *l* trientalem antibrachii longitudinem, ab olecrano *s* ad marginem *n* usque in duas brachii trientes pateat. Ceterum sinuata sit, quo commodius flexum [1]) brachium involutum excipiat. Quem ad finem excisum et consutum linteolum ad flexum brachium accommodatur, eiusque plicis utroque cubiti in latere quam exactissime denotatis, quantum satis est, exciditur, linteolique sic efformatae margines consuuntur. Sinistri lateris suturam puncta in transversam lineam disposita (*s*) indicant, dextrum latus, quod in figura nostra aversum est, similem suturam exhibet. Utramque suturam efficere, ut mitella convenienter flexa, melius omnino sedens brachium commodius retinere possit, vix commemoratu dignum videtur. Quodsi aegrotantis brachium macrum est, ideoque pressionem aegrius fert, necessarium est, ovatum foramen facere, per quod transmissum ulnae olecranon ab omni pressione liberum maneat. Mitellae limbum, quo duplex linteum consutum est, circumducta punctorum series indicat. — Ceterum bina marginibus taeniarum paria assuantur quibus in antibrachii brachiique latere flexorio in nodos contractis, mitella dimoveri commodissime prohibetur. Cavendum est, ne ad summam brachialem mitellae partem adnexae brachii vulnus et translatum locum offendant, vel aliquam postea deligandi difficultatem exhibeant. Paullo inferius itaque assuendas esse, facile intelligitur. Quae quum per se in oculos fere irruant, in figura repraesentari non curavimus, ne plurimis minutialibus veluti onusta difficilius intelligeretur. — Praeterea bini in mitella annuli sint, e funiculo bombycino confecti, alter dextro cubiti lateri, alter sinistro affixus, per quos transmissae longiores taeniae, nimirum ab illis quos antea commemoravimus tunicae annulis (*i*) exceptae, brachium prout res exigit, vel dextrorsum trahant vel sinistrorsum. — Denique novem externo mitellae in margine (*o*, *m*) longiores taenias linteas animadvertere licet, ad sinistri lateris terna pittacia occipitalia (*p*, *q*, *r*) transeuntes, quibus una cum totidem similibus taeniis ab interno mitellae margine ad pittacia occipitalia dextra itidem proficiscentibus, scilicet convenienter adductis, brachium ad caput deligatum commodissime retinetur. Taeniarum lintearum loco bombycinos quoque funiculos adhiberi posse, tantam in longitudinem

[1]) Cf. §. 123.

patentes, ut mitellae et pittaciis occipitalibus adnexi ad posteriores aurium margines pertineant, facile ommittendum est.

bb) Pittacia lateralia sive occipitalia sex cum mitella funiculis unita, efficiunt, ut flexum brachium commodissime retineatur. Quorum terna ad sinistrum, terna ad dextrum cuculli latus affiguntur. Singula e duplice linteo eoque recente conficiantur, simplici sutura (i. e. limbo laevi) in unum comprehendendo. Tres digitos transversos, in latitudinem habeant, longitudinemque, qua posteriori auris a margine ad medium usque occiput pertineant. Anteriori cuiusque pittacii occipitalis (*p*, *q*, *r*) margini, tam sinistro quam dextro in latere funiculorum istorum terni inseruntur, nimirum accuratissime observato ordine. Ternos superiores funiculos superiori sinistri lateris pittacio (*p*), ternos medios medio (*q*), ternosque inferiores inferiori (*r*) affixos videre est. Posteriori cuiusque pittacii parti, relicto a margine spatio pollicari, terni funiculi bombycini vel taeniae linteae angustiores quinque vel sex pollices in longitudinem patentes perinde adnexae sunt, quae infimo tantum in pittacio omnes in oculos cadunt, scilicet superioribus magna ex parte contectis.

Ceterum pittacia occipitalia, funiculis mitellam adducendi causa occipiti circumvolutis, longe praeferenda esse, clarissime ex eo elucet, quod, si funiculos tantum vel taeniolas adhiberi malueris, et ordinem earum facillime turbares, neque solutas commode explicares, neque brachium aequaliter adduceres, praeterquam quod singulos applicatos funiculos, facilius demoveri, vel ipsorum certe posituram haud satis constanter servare posse, dubitari nequit.

§. 162.

Quibus propositis, vestimentum deligatorium induendi modum paucis exponere liceat. — Primum tunica cum cucullo paullo ante translationem [1]) indui, eiusque taeniae pectorales adeo adduci iubentur, ut vestimenta arctissime quidem sedeant, nusquam tamen molestiam afferant. Tum infimus tunicae clavus torulis vel taeniis aegroti braccis affigitur, totumque vestimentum mappis contegitur, ne profluente sanguine inquinetur. — Deinde, stato sanguinis profluvio, cucullus capiti inducitur [2]), cuius opercula mentalia connectuntur, iamque omnibus exacte dispositis, et operatione ad suturam provecta, brachium a ministro convenienter flexum ita ad caput applicatur, ut antibrachio frontem tangente, metacarpus verticem contegat, mediusque digitus ad angulum lambdoideum usque pertineat. (Cf. Tab. VI. Fig. 1. 3.). Denique facta sutura [3]) et naso convenienter obligato, carpus habena transversa summum ad cucullum (*d*, *d*) deligatur, et

[1]) Cf. §. 87. 112. [2]) Cf. §. 123. init. [3]) Cf. §. 123. 124.

et mitellae binis taeniarum paribus in nodos contractis, pittacia occipitalia a superioribus ad inferiora descendendo cucullo adnectuntur. Quibus accommodatis, et funiculis mitellam aequaliter adducere visis, superest, ut pittacia occipitalia ternis taeniarum paribus in nodos contractis excepta, dimoveri prohibeantur. Horum sinistrum et posterius figura repraesentat (*e*, *e*. *g*, *g*.) dextrum aversum est. — Postremo brachium funiculis mitellam cum tunica utrinque coniungentibus firmatur. Quorum sinistrum totam suam in longitudinem patentem figura exhibet (*t*, *i*) dexter ex parte tantum in oculos cadit, (*u*, *x*). Posteriori funiculo solummodo opus est, quando capite prono, ligamenta remittuntur, eorumque ordo aliquo modo turbari animadvertitur.

B. Emendatorum tubulorum descriptio.

§. 163.

Tubulos conicos una cum lamina labiali adhibendos esse, e propositis intelligitur. Illos prius, hanc deinde describemus.

Tubuli e plumbo fabricentur, scilicet ceteris metallorum generibus ipsique auro et argento [1]) longe praeferendo. Iterata enim experimenta aurum et argentum minus salutares in crudam translatae cutis faciem effectus exserere, extra omne dubium posuerunt. Igitur plumbeae e quibus tubuli conficiantur laminae trientem (mensurae Parisiensis) lineam crassae sint, siquidem crassiores et difficilius figurari possunt, neque varias quibus postea opus est flexuras impressionesque commode recipiunt, contra tenuiores naso haud satis resistere, per se clarum est. Tubulorum figuram Tab. V. (Fig. 13.) repraesentat. Quos utrinque compressos sectionem transversam ovatam exhibere, binae lineae a puncto *d* ad punctum *b* proficiscentes ob oculos ponunt. Tubulis igitur ad narium formam exactissime respondentibus, bini margines fiunt, alter anterior *a*, *b*, alter posterior *c*, *d*, quorum ille ad nasi apicem, hic ad labium superius spectet necesse est. Ceterum praeter maiores utriusque extremitatis aperturas, opus est minora nonnulla in parietibus lateralibus foramina fieri, quibus excepta pituita effluat. Aperturam inferiorem *d*, *b* pro forma tubuli conica, superiori *c*, *a* latius patentem, lateraliumque foraminum ambitus figura repraesentat (*n*, *m*, *l*). Praeterea tubulus uterque pedunculo tereti instructus est, aeneo eoque convenienter ferruminato, in quem posterior margo aequaliter transeat. Plumbum ad hunc usum minus idoneum est, quippe quod molle et flexibile in laminae labialis annulo facilius curvatur. Pedunculi partem tubulo immissam atque ferruminatam puncta in lineam *k* disposita indicant. Quam altius iu tubuli cavum pertinere minus convenit, hoc enim pituita impeditur, quo minus effluat. Contra nimis exigua intromissae partis

[1]) Cf. §. 75.

longitudo efficit, ut tubulo iterum atque iterum applicato, pedunculus, facilius defringatur. Denique pedunculos non nimis crassos conficiendos esse, ex eo intelligitur, quod durante curatione fieri potest, ut forcipe varie curvari et ad commodiorem tubulorum posituram accommodari debeant.

Quibus expositis, superest, ut quasdam ad demetiendi rationem proprie pertinentes regulas accuratius recenseamus.

Quo exactius omni in aegrotante tubulorum ambitus inveniri possit, necessarium est ipsorum exemplum e cera solida conficere, cylindratum, compressum, tresque (mensurae Parisiensis) quadrantes pollices longum, cuius sectio transversa exactissime ad narium in archetypo argillaceo [1]) ambitum respondeat. — Inferior cylindri cerei extremitas, quippe quae infimae tubuli partis (*d, b* Tab. V. Fig. 13.) mensuram exhibet, immutata servatur, cetera vero pars ita figuratur, ut quanto nasus sursum angustior sit, tanto magis magisque extenuetur. Ita fit, ut archetypum, quod cylindraceum initio, inter se pares ubique sectiones transversas referebat, iam coni utrinque compressi figuram adipiscatur, cuius transversae sectiones eo minores evadunt, quo propius ad apicem, summae tubuli partis archetypum accedunt. Huiusmodi cereum tubuli archetypum conformationis progredientis tempore [2]) oleo imbutum naribus immittitur, nimirum caute examinando, utrum commode et ingrediatur et extrahi possit, an aliquis vel in apice, vel in lateribus; commissus error emendatione indigeat, quo et aptius flexum et convenientius figuratum narium meatui omnibus numeris respondeat. Bina igitur archetypa cerea cum naribus exactissime congruere visa mensuram artifici exhibent, qua observata tubulos fabricetur.

Tubulorum ambitus haud raro augendos esse, e propositis intelligitur. Quem ad finem necessarium est plumbeas laminas paratas habere, quibus ad tubulos applicatis, horum ambitus exactissime servata forma aequaliter augescant. Sint tenuiores itaque fabricatae, ut una opus sit, qua dimidius uterlibet tubulus a latere excipiatur, duabus, quibus totus tubulus circumdetur, scilicet ipsarum marginibus et in anteriori (*a, b*) et in posteriori margine (*c, d*) tam exacte coëuntibus, ut integrum laminae superimpositum tubulum conficere videantur. Nam concavas laminarum facies convexis tubuli parietibus ex amussi congruere debere, quo aequalius horum ambitus augescant, omittendum est. Interna cuiusque laminae facies binos embolos repraesentat (Fig. 15. *l, m*) quibus in bina tubuli foramina (Fig. 13. *l, m*) immissis, firmiter retenta utralibet demoveri prohibeatur. Tubulorum maiores aperturae (Fig. 13. *c, a. d, b.*) liberae maneant, ne pituitae effluvium impediatur. Praeterea utraque superimponenda lamina foramen exhibeat necesse est, (Fig. 15. *n*) superiori tubuli foramini congruum. Quam tubulorum laminarum-

[1]) Cf. §. 31. [2]) Cf. §. 135.

que fabricam id quoque commodum afferre, quod una lamina prius, duabus deinde applicatis, resarcitus nasus pressioni sensim et pedetentim assuescit, vix necessarium est, pluribus commonstrare.

§. 164.

Lamina labialis argentea vel ex aere inaurato confecta, quam Tab. V. Fig. 14. servata mensura exhibet, alteram istius compagis partem efficit. Media partita est, unde binae laminae inter se aequales fiunt, (*a*, *b*. *e*, *f*.) ad maxillae superioris curvaturam exactissime respondentes, et transmisso clavo versatili cochlea instructo (*i*) in unam adductae, (*e*, *b*). Quo sinistrorsum rotato, laminae solvuntur, ideoque prolongari possunt, sicut res exigit, vel altera alteram excipiente, in brevius contrahi, quo facto, clavo dextrorsum rotato iterum inter se uniantur necesse est. Media utraque lamina annulum fortiorem repraesentat, facto foramini immissum (*k*, *k*) eumque firmiter quidem adaptatum, ita tamen, ut circum axem suam non multum torqueri possit. Ambo annuli, quos tubulorum pedunculos excipere e figura videre est, clavis cochleatis instructi sunt, retinendis tubulorum pedunculis. — Quibus expositis, fieri posse, ut tubuli ad variam ipsorum longitudinem immissi atque introrsum extrorsumve directi, variante ipsius laminae longitudine, commodissime retineantur, clarissime elucescit. Praeterea assutae ad laterales margines (*d*, *h*) longiores quas Fig. 14. discerptas repraesentat, taeniae, capiti supra aures apte circumductae atque in occipite in nodum contractae laminam labialem utralibet dimoveri prohibent.

Ceterum descriptos tubulos fecisse, ut narium progrediens conformatio novissimis quibus nasus ad vivum restitutus est in aegrotantibus prosperrime succederet, dubitationem non recipit.

C. Nasi compressorii descriptio.

§. 165.

Naribus immissi tubuli apte figurando naso haud soli sufficiunt. Necessarium igitur visum est, pressionem resarcitae partis aequalem eamque extrinsecus admittendam in usum vocare, quae maiorem omnino securitatem polliceretur. Quibus ita se habentibus, nova quaedam auxilia excogitavimus, quum veterum ista prorsus inutilia esse [1]), suo fundamento constaret.

Qualecunque ad hunc usum excogitatum ferramentum varios effectus exserere, variaque obsoletis istis ratione praestare debet. Opus enim est, ut 1) suppositis plumbeis

[1]) Cf. §. 93.

laminis tota resarciti nasi facies aequaliter comprimatur, nec ideo 2) partes offendantur, quas ab omni pressione liberas manere melius est. 3) Nasus, donec comprimitur, oculis satis omnino pateat necesse est, quo facilius comprimentis ferramenti effectus diiudicari possit, neque 4) ferramentum solum comprimat, sed aliis etiam quibusdam adminiculis copiam faciat, nasum, si res exigit, adducendi. 5) Ferramentum tale esse oportet, quale et cuivis aegrotanti conveniat, et ad omnem aegrotantis conditionem exactissime respondeat. —

Quibus propositis, novi ferramenti nasum comprimentis inventionem plurimas neque spernendas difficultates exhibuisse, non est, quod lectorem commonefaciamus. Ceterum Griebelii, versatissimi cuiusdam Berolinensis artificis dexteritas nobis suppetias tulit, qui obiter delineatum ferramentum tanta accuratione perfecit, ut nihil fere superesset, quod desiderares.

§. 166.

Nasi compressorium Tab. VI. Fig. 5. dimidio minori mensura repraesentat, a sinistra conspectum, parte anteriori non multum elevata, quo facilius omnes particulae in oculos cadant. Cuius altera pars frontalis (*a*, *b*, *c*) altera nasalis est (*e*, *f*, *g*). Illam prius, hanc deinde describemus.

a) Pars frontalis e lamina chalybea constat, tenuiori, frontem et tempora cingente, cuius extremitates in occipite coëunt, et margines circumductas foraminum series exhibent, quibus subsuendum holosericum excipiatur. Prope transversos illos in occipite (*c*, *d*) margines in externa facie fibula cum acu est, qua adstricta lamina firmetur. Media anterior facies vaginam (*h*) repraesentat, qua partis nasalis ligula (*e*) excipiatur. Applicatum ferramentum in Tab. VI. Fig. 2. videre est (*a*, *b*, *c*) quae fibulae etiam occipitalis aculam (*c*) repraesentat.

§. 167.

b) Partem ferramenti nasalem (Tab. VI. Fig. 5.) tres perpendiculares duaeque transversae trabeculae conficiunt, eaeque partim simpliciores, partim compositae, quibus nasus (Fig. 2.) undique circumdatur. Perpendiculares trabeculae prius, transversae deinde describentur.

Media trabecula (*e*, *r*, *v*, *λ*) partis nasalis veluti carinam repraesentat. Hanc enim cum parte frontali coniungens ceteras tam transversas, quam laterales trabeculas excipit, mediaque parte nasi dorsi curvaturam imitata, extremitas inferior (*v*) nasi apici circumflexa subter narium septum ad labium superius (*λ*) pertinet. Stilus sive ligula litteris *r* et *e* interposita teres est, perque frontalis partis vaginam (*h*) transmissa, in qua clavo versatili (*i*) retinetur. Pars litteris *r* et *v* intericcta octo foramina repraesentat

cochleis instructa, excipiendis clavis versatilibus (*t*, *t*, *t*). Quibus convenienter distributis, fieri potest, ut nasi dorsum suppositis laminis plumbeis omni in parte commodissime comprimatur. Prominens trabeculae pars adductoris [1]) cochleam (*u*) repraesentat. Ipsum enim adductorem omitti iussimus, ne figura difficilius intelligeretur. Prope adductoris cochleam trabeculae mediae fissura incipit (*v*), quae ad extremitatem fere (*h*) producta, transversa trabecula (*f*, *g*) oculis subtrahitur. Hac exceptus clavus versatilis *x* trabeculam transversam (*f*, *g*) modo antrorsum torquet, modo retrorsum, sicut res exigit. Summa mediae trabeculae latitudo (*v*) trium (mensurae Parisiensis) linearum, crassitudo dimidiae lineae est. Ceterum ferramentum callidas exercitatioris artificis manus sibi exposcere, vix commemoratu dignum videtur.

T r a b e c u l a e l a t e r a l e s plane inter se aequales sunt, unam igitur descripsisse sufficiat, eamque sinistram (*n*, *o*) quippe quae totam ipsius in longitudinem patet, dextra ex parte tantum (*l*, *m*) sub adspectum cadente. Igitur trabecula lateralis sinistra in extremam transversam superiorem inserta, clavo versatili (*q*) retinetur, latente iunctura, qua clavus iste per extremae trabeculae foramen transmissus efficit, ut haec antrorsum retrorsumque commode torqueri possit. Similem trabecula transversa inferior (*f*, *g*) cum sinistra laterali iuncturam (*o*) exhibet. Illius enim in medio margine laterali excisura est, qua exceptus lateralis trabeculae embolus immisso clavo versatili (*z*) satis mobilis retinetur. Ceterum trabecula lateralis perinde ac media septem foramina repraesentat, cochleis instructa, excipiendis clavis versatilibus, quibus nasus laminarum plumbearum ope a latere comprimatur. Horum tres figura exhibet (*α*, *α*, *α*) capitibus in externa facie, extremis intus sub adspectum venientibus. Similes dextrae trabeculae tres clavi versatiles ex parte tantum animadvertuntur, quorum apices duo interna in facie (*m*, *l*) et infimi caput littera *y* notatum est.

Demtis clavis versatilibus *q*, *z* et *p*, *f* sinistra aeque ac dextra lateralis trabecula, si res exigit, commodissime eximi potest.

§. 168.

Inferior transversa trabecula prius describenda est superiori, quippe cuius fabricam prorsus non intelliges, nisi illius compagem oculis probe perlustraveris. — Igitur trabecula transversa inferior e duabus particulis constat, dextra nempe *β* et sinistra *γ* in eandem ac media trabecula latitudinem patentibus, iisque paullo tenuioribus. Figura alteram alteri impositam repraesentat, inferiori tantum facie sub adspectum cadente. Quae quum inter se aequales sint particulae, dextram *β* descripsisse sufficiat, toto ipsius ambitu oculis patentem. Cuius in margine externo excisura est, excipiendo lateralis trabe-

[1]) Cf. Tab. VI. Fig. 9.

culae embolo, eadem nimirum quam paullo prius descripsimus iunctura, prope quam rimam videre est, ad internam fere extremitatem (*k*) pertinentem.

Quando compagis nasalis trabeculae componuntur, necessarium est, inferioris transversae trabeculae particulas alteram alteri ita imponere, ut ipsarum rimae (β, γ) sibi invicem respondeant, quibus inter se congruere visis, integra inferior trabecula ita ad mediam applicatur, ut ternae, quod e figura videre est, rimae unam aperturam repraesentent, per quam transmissus clavus cochlea instructus adaptato repagulo cochleam excipiente ($\varkappa$) firmatur. Cuius capitulo in interna transversae trabeculae facie posito, fieri potest, ut ternae istae particulae (v, k, β, γ) plus minusve inter se uniantur, prout nempe repagulum extrinsecus adaptatum ad externam transversae trabeculae faciem vel propius accessit, vel procul ab ea habetur. Expositam trabeculae inferioris fabricam e Fig. 5. intelligere est, quae clavi quidem modo commemorati capitulum non exhibet, nimirum aversa in facie positum, ceteras tamen partes ad amussim repraesentat. Ipsum quoque clavi capitulum in Fig. 2. animadvertitur. —

Quibus propositis, fieri posse, ut laterales trabeculae remisso repagulo x modo naso appropinquent, modo procul ab eo habeantur, tota igitur nasalis compressorii compages, sicut res exigit, vel in angustius contrahatur, vel dilatetur, variante partis *f*, *g* longitudine, haud difficile est intellectu. Simili modo trabeculae laterales *n*, *o* et *m*, *l* una cum transversa *f*, *g* ad totius rimae *v*, *k* longitudinem modo antrorsum torqueri possunt, modo retrorsum. Praeterea altera trabecula laterali antrorsum torta, altera simul, si opus est, retrorsum torqueri, totaque compages nasalis adacto repagulo x in qualicunque positura commodissime firmari potest.

§. 169.

T r a b e c u l a e t r a n s v e r s a e s u p e r i o r i s fabrica haud minores quam ceterae difficultates exhibuit. Quam in trabeculas laterales iuncturis mobilibus (*p*, *q*) et in mediam clavo immobili insertam Fig. 5. repraesentat. Praeterea internam trabeculae transversae superioris faciem servata mensura seorsum delineari curavimus, et quod externa multiplices huius trabeculae articulos non satis clare ob oculos ponit, et magnopere interesse videtur, ut haec praesertim compagis nasalis pars quam clarissime intelligatur. Igitur Fig. 7. trabeculam transversam superiorem repraesentat, defracta media (*a*, *b*) et lateralibus (*c*, *d*) quarum fabrica cum e propositis patet, tum e Fig. 5. clarissime elucescit. Litteris *n*, *o*. *n*, *o* trabeculae transversae superioris cum lateralibus (*c*, *d*) iuncturas istas mobiles denotavimus, quarum fabricam facile intelliges, si modo clavos versatiles *q*, *q* altius quod e figura videre est penetrantes cum externa transversae trabeculae facie (Fig. 5.) comparaveris. Inter litteras *r*, *s*. *r*, *s* (Fig. 7.) trabeculae transversae utramque extremitatem *n*, *o*. *n*, *o*, in partem intermediam mobilibus iuncturis insertam videre est,

iisque clavis, (*r*, *r*) quos altius penetrantes subtiliores punctorum series indicant, firmatis. Media figura ambas intermedias trabeculae partes repraesentat, quarum altera alteri apte superimposita est, utriusque foraminibus sibi invicem respondentibus, per quae transmissus clavus cochlea instructus totam superiorem compagem, nempe e transversae trabeculae particulis et media compositam mobili iunctura in unum adducit. Cuius transmissus apex in Fig. 5. prope litteram *r* sub adspectum venit.

§. 170.

Descriptum ferramentum summa accuratione ad nasum applicandum esse, facile intelligi potest. Praeprimis narium tubuli cum lamina labiali ad nasum accommodentur necesse est, sine quibus nasalis compressorii compages nullos plane effectus exserit [1]). Cavendum est, ne lamina labialis ad narium septum propius accedat, quo trabecula transversa inferior (Fig. 5. *f*, *g*) convenienter torqueri prohibetur, nimirum clavis versatilibus (Tab. V. Fig. 14. *i* et Tab. VI. Fig. 5. *x*) se invicem impedientibus.

Applicatis igitur laminis labialibus, clavi versatiles *i* et *x* remittuntur, et nasalis compressorii compages una cum frontali ita ad aegrotantis caput accommodantur, quemadmodum accommodatas Fig. 2. repraesentat. Quibus convenientem posituram obtinere visis, et parte frontali per adductam fibulam *c* (Fig. 2.) adeo firmata, ut prorsus moveri iam non possit, pars nasalis *c*, *f*, *g* (Fig. 5.) quam in vagina (*h*) mobilem modo sursum modo deorsum modo dextrorsum modo sinistrorsum torqueri posse, antea commemoratum est, ita ad nasum dirigitur, ut et ternae ipsius trabeculae ternis nasi faciebus, latitudinis aeque ac longitudinis ratione habita, omnibus numeris respondeant, et clavi versatiles (*α*, *α*, *α*. *t*, *t*, *t*. *y*. rel.) ad comprimendas nasi partes apte pertineant, et trabecula inferior transversa spatium occupet narium septo et laminae labiali interpositum. Quo facto, superest, ut clavi versatiles *i* et *x* firmentur, quibus compages nasalis convenienter ad nasum directa usque retineatur.

Igitur omnibus inter se congruentibus, laminae plumbeae [2]) in naso collocatae sufficiente clavorum versatilium numero apprimuntur, iisque convenientem pressionem exserentibus bombyx aromaticus superimponitur, quo exceptus nasus undique quam commodissime involvatur [3]). Hunc emplastri taeniis, vel aliis quibuscunque operculis retineri opus non est, trabeculae enim et clavorum versatilium series impediunt quo minus elabatur.

Nasi compressorium exemto bombyce, remissis trabecularum clavis, demtis laminis et soluta fibula (*c*) tutissime demitur.

[1]) Cf. §. 141. [2]) Cf. §. 141. 145. [3]) Cf. §. 135

D. Adductoris descriptio.

§. 171.

Adductorem nasi apicem protrahere, donec ceterae illius partes laminis plumbeis comprimuntur, suo loco expositum est, quo [1]) varias etiam quae tales effectus exposcerent conditiones commemoravimus. Iam de fabrica adductoris eumque ad nasum applicandi modo pauca afferre liceat.

Tab. VI. Fig. 8. adductorem seorsum delineatum repraesentat, cuius partes furcula cum stilo cochlea instructo et repagulum versatile sunt, quod cochleam excipit.

Furculae formam e Fig. 8. videre est, quae cornuum *b*, *c* et curvaturas, et angulum *d*, et stilum laevem teretem *a*, *d*, illius veluti manubrium exhibet. Furcula cum manubrio e plumbo conficiatur necesse est, quippe quod varias quibus opus est, curvaturas commodissime recipit, et adductionis vim facile sustinet, ceteris itaque metallorum generibus praeferendum est, e quibus fabricatus adductor ad narium tubulos mediamque compagis nasalis trabeculam minus exacte dirigi potest.

Altera adductoris pars, *a*, *u*, cochlea instructa furculae manubrio immobili iunctura (*a*) adhaeret adeoque tenuis est, ut per trabeculae mediae foramina commode transmitti possit, nec ipsorum a cochleis excipiatur, ne rotationibus opus sit, quas post immissam in nares furculam prorsus fieri non posse per se patet. Haec adductoris pars non e plumbo, quo furcula, sed e ferro vel aere fabricata sit, ne cochlea repetito usu deteratur.

De repagulo versatili *i*, *k* tertia adductoris parte nihil amplius commemorandum videtur, quandoquidem fabrica eius et maxime usitata et per se cognita est.

Quod ad adductoris magnitudinem pertinet, quae cuilibet ad vivum restituto naso respondeat, ideoque diversissima sit necesse est, obiter commemorasse sufficiat, adductorem, quem in aegrotante quodam adhibitum in tabula delineari curavimus, omnium fuisse maximum.

§. 172.

Tab. VI. Fig. 9. naribus immissum adductorem repraesentat, linea *n*, *o*, *p* imam nasi partem indicante, cuius sinistram narem litteris *g*, *h* denotari curavimus. Praeterea lateralis mediae trabeculae facies *l*, *m* in oculos cadit, cuius anteriorem faciem in Fig. 5. litteris *c*, *x* designatam videre est. Ipsum adductorem *u*, *a*, *d*, *c* ea in positura delineari iussimus, qua stilus per trabeculae foramen transmissus prominet sinistro furculae cornu

[1]) Cf. §. 137. 142.

cornu in sinistram narem demisso, et repagulo versatili (*i, k*) ita applicato, ut tota compages facili negotio firmari possit.

Adductor igitur commodissime hoc modo ad nasum applicatur: Tubulis sicut prius praeceptum est, intromissis firmatisque, primum adductoris pars stiliformis per id trabeculae mediae foramen intrinsecus transmittitur, unde convenientissimam compagis posituram exspectare licet. Tum repagulum versatile nonnullis rotationibus accommodatur, quo leviter firmatus adductor remissius retineatur. Deinde compressorii compages nasalis [1]) modo prius exposito ad nasum admovetur, nimirum furculae cornua protinus in nares demittendo. Denique firmata compage nasali,

Furcula, repagulum versatile *i, k* (Fig. 9.) sensim et pedetentim rotando, adducitur, quo illam una cum immissis tubulis ad trabeculam mediam propius accedere, ideoque nasi apicem convenienter protrahi, e Fig. 9. clarissime intelligitur.

Praetereundum non est, furculae ad narium positum directionem haud mediocrem dexteritatem et accurationem exposcere. Hac enim negligentius immissa, fieri potest, ut nasi apex non solum male figuretur, sed pressio etiam inaequalis intolerabiles eosque supervacuos dolores excitet. Contra, dubium non est, quin adductor ad prosperum operationis successum plurimum conferat.

[1]) Cf. §. 170.

Appendix.

A. Index Librorum.

Audran, Gerard, les Proportions du corps humain, mesurées sur les plus belles figures antiques, telles que l'Apollon du Belvédère, la Vénus de Medícis et autres. à Paris. 1802.

Autenrieth, J. H. Ferdinand, Handbuch der empirischen menschlichen Physiologie. Tübingen 1801—2. 3 Thle. 8.

Baker, Henry, an Attempt towards a natural history of the Polype in a letter to Martin Folkes. London 1743. 8.

Balfour, William, Observation on Adhesion with cases. Edinburgh 1814. 8.

Baronio, Giuseppi, degli Innesti animali. Milano 1804. 8.

Bell, Carl, System der operativen Chirurgie, übers. von Dr. Kosmely, bevorwortet von Dr. C. F. Graefe. Berlin 1815. 2 Thle. 8.

Benedictus, Alexander Pacantius, Anatomia seu Historia corporis humani. Parisiis 1527. 8.

Bonnet, Charles, Oeuvres d'histoire naturelle et de philosophie. Neuchatel 1779—83. 4.

Carpue, J. C., an account of two successful Operations for restoring a lost Nose from the integuments of the Forehead. London 1816. 4.

— — Geschichte zweier gelungenen Fälle, wo der Verlust der Nase vermittelst der Stirnhaut ersetzt wurde. Aus dem Englischen übertragen von Michaelis, bevorwortet von Graefe. Berlin 1817. 4.

Commentarii Goettingenses MDCCLI — MDCCCXVIII. Goettingae 1752 rel. 4.

Cortesius, Miscellanea medicinalia. Messanae 1625. Fol.

Dictionnaire des Sciences médicales par une société de medecins et de chirurgiens. Paris 1812—18. 8.

Dionis, Cours d'Opérations de Chirurgie, demontrées au Jardin du Roi. 8me ed. par de la Faye. Paris 1782. 8.

Dürer, Albrecht, vier Bücher von menschlicher Proportion, erfunden und beschrieben zu Nutz aller derer, so zu dieser Kunst Lieb tragen. Nürnberg 1528. Fol.

Eloy, Dictionnaire historique de la Médecine. Mons, 1778. 4.

Fallopius, Gabriel, Opera quae extant omnia. Francofurti a. M. 1600. Fol.

Fienus, Thomas, de praecipuis Artis chirurgicae Controversiis Lib. XII. Francofurti 1649.

Garengeot, Traité des Opérations de chirurgie. Paris, 1731. 8.

Gazette de Santé. Paris 1817.

Gourmelenus Chirurgica Ars. Parisiis 1580. 8.

Graefe, Carl Ferdinand, Angiectasie, ein Beitrag zur rationellen Cur und Erkenntnifs der Gefäfsausdehnung. Leipzig 1808. 4. m. Kpfrn.

— — Jahresbericht über das clinisch-chirurgisch-augenaerztliche Institut der Universitaet zu Berlin. 1816. 4.

— — Normen für die Ablösung grösserer Gliedmaafsen. Berlin 1812. 4. m. Kpfrn.

— — Repertorium augenärztlicher Heilformeln. Berlin 1817. 8.

Graham, Maria, Letters on India. London 1814.

Heister, Laur. R., Chirurgie. Nürnberg 1752. 4.

van **Helmont** de magnetica vulnerum naturali et legitima curatione. Parisiis 1621.

Hildanus, Fr., Observationum et curationum chirurgicarum Centuriae. Lugduni 1641. 4.

Hufeland, Christoph Wilhelm und **Harles**, Journal der practischen Heilkunde. Berlin 1817. St. 5.

Journal de Physique. Paris 1773. 8.

de **Lairesse**, Gerhard, neu eröffnete Schule der Zeichenkunst. Leipzig 1745. 8.

Memorie di Matematica e Fisica della Società italiana. Verona 1782—1807. 13 Tom. 16 Vol. 4.

Molinetus, Dissertatio anatomica et pathologica de Sensibus et eorum Organis. Patavii 1669.

Pareus, Ambrosius, Opera omnia. Ex ed. Jacobi Guillemeaux. Parisiis 1582. Fol.

Pennant, View of Hindostan. London 1798. 2 Vol. 4.

Reufs, J. D., Repertorium Commentationum a Societatibus literariis editarum. Tom. XI. Gottingae 1813—1816. 4.

Schenk, Joann. a Grafenberg, Observationum medicarum rariorum Libr. VII. Francofurti 1600. Fol.

Schreger, B. G., Grundrifs der chirurgischen Operationen. Fürth 1806. 8.

Spallanzani, Abbé, Programme ou Précis d'un ouvrage des Réproductions animales. Traduit de l'Italien par B. de la Sabionne. Genève 1768. 8.

Taliacotius, Gaspar, de Curtorum Chirurgia per insitionem Lib. II. Venetiis 1597. Fol. c. Tab.

Trembley, A., Mémoires pour servir à l'histoire d'un genre de Polypes d'eau douce. Leide 1744. 8.

Treviranus, G. R., Biologie oder Philosophie der lebenden Natur, für Naturforscher und Ärzte. 4 Thle. Goettingen 1802—14. 8.

Vesalius, Andreas, Chirurgia magna. In Opp. omn. ex ed. Boerhaavii et Albini. Lugduni Batavorum 1725. Fol.

Walther, Ph. Fr., Physiologie des Menschen etc. 2 Bde. Landshut 1807—8. 8.

Wilford, Treatise on Egypt from the ancient books ot the Hindoos. In Asiatical Researches or Transactions of the Society in Bengal for inquiring into the history, sciences etc. of Asia. Vol. 2. London 1806. seq. Vol. 3.

B. Explicatio tabularum.

Tab. I.

Fig. 1. Adolescentis effigies post sanatum faciei vulnus delineata. Cf. §. 92.

Fig. 2. Nasus Italica methodo ad vivum restitutus. Cf. §. 107.

Tab. II.

Fig. 1ma Mulieris effigiem post sanatum faciei carcinoma delineatam exhibet. Cf. §. 55.

Fig. 2. Nasus Indica methodo resarcitus. Cf. §. 58.

Tab. III.

Fig. 1. Puellae effigies, sanato ulcere herpetico. Cf. §. 148.

Fig. 2. Nasus Germanica methodo ad vivum restitutus. Cf. §. 153.

Tab. IV.

Fig. 1ma Fibularum intervalla repraesentat in curto naso maiora, quam in transferendo cutis lobo. Cf. §. 69.

Fig. 2. Cellulosa lobi cutanei brachialis facies, cicatrice inducta. Cf. §. 100. 145.

Fig. 3. Cutis lobus cum brachio cohaerens, confirmata cicatrice. Cf. §. 100. 145.

Fig. 4. Nasi archetypum argillaceum, denotatis punctis ad transferendam mensuram necessariis. Cf. §. 116. 131.

Fig. 5. Linteolum transmissum, quo ad praeparandum lobum brachialem opus est. Cf. §. 79. 83.

Fig. 6. Schedula mensoria, qualis in brachium transfertur. Cf. §. 118. 119. 120. 131.

Tab. V.

Fig. 1. Bacillum ligatorium, cochlea instructum. Cf. §. 26. 2.

Fig. 2. Bacillum ligatorium simplex. Cf. L. m. I.

Fig. 3. Scalpellum acie admodum convexa, excidendis partibus angulosis, quale in conformando curto naso adhibetur. Cf. §. 106. 145.

Fig. 4ta ad demensionem et delineationem pertinet in Indica methodo adhibendam. — De basi delineanda cf. §. 32. — De excisura utraque laterali delineanda cf. §. 33. — De demetiendo lobo frontali cf. §. 35. — De punctis in curto naso et fronte denotandis cf. §. 36.

Fig. 5. Nasi archetypum argillaceum, denotatis punctis ad demetiendum necessariis. Cf. §. 31. 34.
Fig 6. Lobi frontalis sutura. Cf. §. 43. 44. 46.
Fig. 7. Scalpellum acuminatum, conformandis partibus. Cf. §. 51. 132.
Fig. 8. Schedula mensoria ab archetypo desumta, cum denotatis punctis. Cf. §. 34 36
Fig. 9. Corpusculum complanatum quo ad suturam opus est. Cf. §. 26. 3. §. 45.
Fig. 10. Corpusculum convexius. Cf. L. m. l.
Fig. 11. Acus. Cf. §. 26. 1.
Fig. 12. Bacillorum ligatoriorum positura. Cf. §. 26. 2. §. 45.
Fig. 13. Tubulus conformandis naribus. Cf. §. 163.
Fig. 14. Uterque tubulus cum lamina labiali coniunctus. Cf. §. 136. 164.
Fig. 15. Lamina tubulis imponenda. Cf. §. 136. 165.
Fig. 16. Scalpelli lamina. Cf. §. 24. 1. §. 38.

Tab. VI.

Fig. 1. Vestimentum insititium Taliacotii. Cf. §. 157. 158.
Fig. 2. Nasi compressorium ad aegrotantem applicatum. Cf. §. 163. 170.
Fig. 3. Vestimentum deligatorium emendatum. Cf. §. 159—162.
Fig. 4. Lamina comprimens dextra qua apex nasi conformatur. Cf. §. 141.
Fig. 5. Nasi compressorium, mensura dimidio minori. Cf. §. 166—170.
Fig. 6. Lamina comprimens sinistra qua apex nasi figuratur. Cf. §. 141.
Fig. 7=1 trabeculae transversae superioris fabricam repraesentat. Cf. §. 169.
Fig. 8. Adductor. Cf. §. 171.
Fig. 9. Adductor ad nasum applicatus. Cf. §. 172.

In votis

est, methodi Taliacotianae historia curatius elaborata omnibus numeris absolvatur. Hinc Reverendiss. artis socios publice interrogare idoneum iudico, num cui operationis Taliacotianae post auctorem eius institutae exemplum innotuerit, praeter istuc a Molineto [1]) narratum, quo sub initio saeculi decimi septimi curtus nasus Venetiis ad virum restitutus est. Quum enim auctores recentiorum experimentorum, quibus fides habenda foret, mentionem nusquam iniecerint: illam operationem per duo saecula obliteratam iacuisse [2]) eo certius accipiendum fuit, quo plures scriptores medici, iique facile praestantiores, ipsam modo negare, modo refutare, modo turpi ludibrio habere non dubitaverant [3]). Proinde, si cui virorum doctorum operationis istius exemplum in notitiam venerit, eum omni qua par est reverentia oro rogoque, ut qua commodissima via et ratione id fieri possit, huius historiam benevole mecum communicare velit, scilicet idoneis medicorum scriptis, si e praeterito tempore, sin autem de chirurgo quolibet florente est, veris vel medicorum vel artis chirurgicae cultorum testimoniis munitam. Eadem ratione adductus, nullus dubitavi, in historiis a me narratis et aegrotantium, et ministrorum et medicorum celeberrimorum, qui et operationum testes fuerant, earumque prosperrimos successus observaverant, nomina afferre [4]), nullamque narrationum quarundam rationem habere, quae, licet eas fabulosas esse, minus contendere velim, omnibus tamen testimoniis carent, nimirum in re, tam saepe in dubium vocata, pernecessariis.

1) Cf. §. 14. pag. 18.
2) Cf. §. 15. pag. 20.
3) Cf §. 14. pag 19.
4) Cf. §. 15. pag 20. et operationum historias, §. 56. 96. 105. 108. 149. 154. narratas.

In posterum quoque nullas talium operationum historias pro veris habendas fore, nisi quae aptis testimoniis munita in publicum prodierint, nemo est, qui dubitat. Solum enim veritatis studium, neque fallacissimum fabularum aucupium, cum omni litterarum disciplinae, tum praecipue arti salutari utilitatem afferre, inter omnes constat.

F I N I S.

Tab. I.

Fig. 1.





Fig. 2.




C. Thiele ad naturam del.

C. Lud: Meyer sculp.

Fig. 1.



Fig. 2.



F. Thiele a naturam d. & sc. 1817

Fig. 1.



Fig. 2.





Fig. 1.




Fig. 4.




Fig. 2.

Fig. 3.



Fig. 5.





Fig. 6.

Tab. V.



Lud. Meyer ad nat. delin.

J. H. Funcke sc.



Fig. 1.

Fig. 2.





Fig. 3.

Fig. 4.




Fig. 5.

Fig. 6.

Fig. 7.




Fig. 8.




Fig. 9.

C. Lud. Meyer delin.

C. C. Glaßbach sculps.

[illegible]

[illegible]

(1818)

[illegible]